INSTITUTIONUM
JURIS CANONICI

AUTHORE

FRANCISCO MARIA GASPARRO
R O M A N O


In Almæ Urbis Archigymnasio
ejusdem Juris publico
Professore,

ET IN ROMANA CURIA ADVOCATO.

Ad usum Seminarii Romani.

PARS PRIMA.







ROMÆ MDCCXXI.
Typis de Martiis, propè Templum S. Mariæ de Pace.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

AD LECTOREM.

CUM Anno hoc literario, Lector humanissime, fuisset mihi demandata provincia Divinæ Censuræ, seu Canonicarum, quas vocant Institutionum, ornatissimæ Juventuti ad Urbis Archigymnasium confluenti, pro modulo meo tradendarum, illas sic planè confeci, ùt nùnc, Typis mandatas, tuos ob oculos pono. Id unum te tibi persuadere velim, me non ideò incuriæ reum esse, quod hoc in opere, quædam pauca, quæ Canonici Juris sacri Codices complectuntur nec quidem à limine salutaverim; Veritus enìm fui vehementer, ne in alienam, ùt ajunt, messem falcem immitterem; cum studiorum ratio, & Lycei nostri usus ferat, ùt quæ quoquo modo ad Civilem, vel Criminalem Jurisprudentiam spectant, distinctorum Interpretum tractantibus committantur. Vale.

§ 2 Re-

Reimprimatur

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sac. Palatii Apostolici.

T. Cervinus Episcop. Heracleæ Vicesg.

APPROBATIO OPERIS.

QUum illud mihi onus injunxerit Reverendissimus Pater Magister Sac. Palatii Apostolici, ùt primam Partem *Institutionum Canonicarum* à D. Francisco Maria Gasparro nostræ Universitatis publico Lectore elucubratam ad examen revocarem, eam quidem propensè, & non sine voluptate perlegi; nihilque intereà occurrere visum est, quo à morum honestate, aùt à recto Legum, Sacrorumque Canonum tramite devium existimetur. Imò quum Opus summo Studio, & industria elaboratum agnoverim, atquè de illius explicatione, mirùm in modum pro officii mei munere, atque Instituto Tyrones hoc anno profecisse compererim, futurum Auctori decus, & legentibus utilitatem prospiciens, Jure, & merito Typographicis monimentis censeo demandandum XII. Kal. Maii MDCCII.

Camillus Spretus Sac. Consist. Advocatus, & Urbis Archigymnasii Rector Deputatus.

Reimprimatur

Fr. Gregorius Selleri Sac. Pal. Apostolic. Magister Ord. Prædic.

INDEX

INDEX TITULORUM PRIMÆ PARTIS.


CAP.

TITU-

CAP.



AD



AD CANONICAS INSTITUTIONES INTRODUCTIO.

1 EDITURUS in Cœlum Christus Dominus, suâque visibili præsentiâ homines fraudaturus, D. Petro, ejusque successoribus gubernativam Ecclesiæ sollicitudinem demandavit, & pro illius libito in Apostolos, eorumque paritèr Successores derivandam legislativam potestatem concessit; testatus enim fuit *Joan. c.* 20. se misisse Apostolos quemadmodùm ipse à Patre missus fuerat: certùm autèm est apud omnes, ipsum à Patre fuisse missum
2 cùm officio Legislatoris. Cùm enim juxtà Doctrinam

Angelici 1. 2. *quæst.* 108. *art.* 1. *&* 2. ea per se Christus tamquam Legislator præceperit, quæ sunt necessaria necessitate medii, vel præcepti ad salutem æternam assequendam (quæ à Christo immediatè præcepta, veniunt sub nomine Juris Divini) reliqua sui Vicarii arbitrio definienda commisit, & Apostolo-
3 rum suorum; tum ut suaviter, & modo hominibus congruo omnia ordinarentur, tum quia non poterant omnia singillatim ita statui, ut essent immutabilia.

4 Jus autem leges istas complectens non à Christo, sed à Petro, ejusque Successoribus, vel Apostolis latas *Canonicum* dicitur à verbo græco *Canon*, quod latinè *regulam* sonat, eo quia illius præceptis constituatur certissima norma, & regula hominibus, cui insistentes fœliciter currant, & accipiant bravium.

5 Definitur enim hoc Jus, Teste Lancellotto, *id quod*
6 *dirigit civium actiones ad finem æternæ beatitudinis*. Uno autem verbo utrumque Jus, Divinum, & Canonicum, seù positivum complectitur D. Paulus 1. *ad Corint. c.* 7. inquiens: *præcipio non ego, sed Dominus*. En jus Divinum: *cæteris ego dico non Dominus*. Ecce
7 Canonicum; Habuitque initium hoc jus, post Christi ad Cœlos ascensum, sub eo tempore, quo Apostoli Hyerosolimis varia Concilia congregarunt ad veram, Catholicamque fidem ad struendam.

8 Dividitur Jus Canonicum, non secus àc Civile in scriptum, & non scriptum. Hoc continet Ecclesiasticas consuetudines, & laudabiles Ecclesiæ mores; scriptum verò, de quo nos acturi sumus, constat ex decretis Pontificum, Conciliorum, Statutis, & SS. PP. Sententiis.

9. Variæ hujus Juris scripti à variis magnæ notæ Canonistis collectiones habitæ fuerunt, quas latè invenies

nies apud eruditissimum Tholosanum *in partit. Jur.*
Canon. cap. 1.

10 Illæ tamèn quibus nunc communitèr utimur, quin-
que, vel sex sunt. Prima dicitur *Decretum*, secunda
Decretales, tertia *Sextus Decretalium*, quarta *Cle-*
11 *mentinæ*, quinta *Extravagantes*; quibus addi possunt
sexto loco Bullæ omnes SS. Pontificum, quæ novissi-
mè à Laertio Cherubino sub Bullarii Romani nomine
magnis, & benè digestis voluminibus sunt compre-
hensæ.

12 Decretum sub nomine *Concordiæ discordantium*
Canonum variis S. Scripturæ, & SS. PP. locis refer-
tum, plurimasque Summorum Pontificum, & etiam
Cæsarum constitutiones continens conflatum, & An-
no Christi 1059. vel ut aliis placet 1105. editum fuit
13 à Gratiano quodam D. Benedicti Monacho, ope etiam
cujusdam Paleæ ejus discipuli; quapropter in Decre-
to reperiuntur transcriptæ variæ authoritates cum hac
inscriptione *Palea*.

14 Tres autem decreti sunt partes. Prima per distin-
ctiones 101. est distributa, sub quarum singulis varii
Canones continentur, & ità citatur v. g. *Can. execra-*
bilis distinct. 54. Secunda distincta in Causas 36., &
varias quæstiones, quarum unaquæque pluribus Ca-
nonibus constat, sic allegatur v. g. *Can. placuit prima*
(subintelligitur *causa*) *quæst.* 2. Post hanc secundam
decreti partem est tractatus *de Pœnitentia* in quinque
distinctiones partitus, cujus Canones ità citari mos est
v. g. *Can. principium de Pœnitentia distinct.* 2. Addi-
tur *de Pœnitentia*, ne hujus tractatus Canones con-
fundantur cum his, qui ad sunt in primâ parte Decreti.
Tertia demum pars continet tractatum *de Consecra-*
tione, qui quinque pariter distinctionibus constat, &

ita allegatur v. g. *Can. Episcopus de Consecratione dist. prima*, additurque ly *de Consecratione*, ut distinguantur illius Canones ab illis, qui sunt in primâ parte, cujus distinctiones sine ullo addito allegari solent.

15 Anno postmodùm 1230. Gregorius Nonus Pontifex aliam compilationem Canonum fieri jussit, quæ vulgo dicuntur *Decretales Epistolæ Gregorii Noni*, & secundam partem Juris Canonici scripti conficiunt;
16 Elaboratæ autem fuerunt ope Sanctissimi, & Eximii Viri D. Raymundi de Pennaforte Ordinis Predicatorum, Cappellani, & Pœnitentiarii laudati Pontificis.

17 Divisæ sunt hæ decretales in quinque libros; quorum singuli sub se plures titulos continent in plura
18 Capitula distributos, & ità citantur v. g. *Capitulo cum in cunctis, de electione, & electi potestate*, & quandoque additur *extrà de electione &c.* scilicet *extrà decretum Gratiani*.

19 Anno posteà 1294. seù, ut alii volunt 1300. Bonifacius VIII. varias prædecessorum Pontificum Epistolas, qui inter ipsum, & Gregorium Nonum floruerant, & duorum Conciliorum Lugdunensium sub Innocentio Quarto, & Gregorio X. habitorum sanctiones colligi mandavit, & quia hæc collectio addebatur quinque libris Decretalium Gregorii, eam sub nomine *sexti Decretalium* prodire jussit, quæ constituit tertiam
20 partem Juris Canonici. Hæc autem collectio quinque constat libris in varios titulos distributis, titulisque varia capitula continentibus, & ita allegatur v.g.
21 *cap. statutum, de rescriptis in sexto* additur ly *in sexto*, ne capitula sexti confundantur cum illis Decretalium Gregorii.

Successit

22 Successit Bonifacio Octavo in Pontificiâ Sede Clemens Quintus, qui cum Anno 1311. Concilium Viennense celebrasset, ejusdem Constitutiones pro-
23 prio illis nomine commodato sub *Clementinarum* appellatione compilari curasset, morte prçventus eas in lucem prodere nequivit, id tamen præstitit Joannes XXII. ejus successor Anno 1317. ut refert Baronius
24 ad dictum Annum *tom.* 1. *num.* 2. Et hæ Clementinæ pariter quinque libros complectuntur, varios sub se titulos, & capitula habentes, & ita allegantur, puta *Clem. si de beneficio, de præbendis, & dignitatibus*, sicque habes quartam Juris Canonici scripti partem.

25 Quinta tandem ejus pars fit ab *Extravagantibus*, ita dictis,quia cum inter Decretales non sint repositæ, quodammodò extrà corpus Juris vagari censentur.
26 Compilatæ fuerunt à Joanne XXII. sed aliæ sunt variorum Pontificum, & communes, quæ sic citantur v. g. *Extravag. ambitiosæ, de rebus Ecclesiæ alienandis, vel non*. Aliæ sunt propriæ Constitutiones dicti Joannis XXII. quæ allegantur ita v. g. *Extrav. Quia in futurorum Joannis XXII. de torneamentis*; Si enim
27 ly *Joannis XXII.*in allegatione non addatur,censentur allegatæ Extravagantes communes, & inter illas sunt requirendæ.

28 Adverte quod licèt Clementinæ, & Extravagantes in Capitula sint distributæ,citentur tamen per specialia nomina Clementinarum, & Extravagantium, ne si per capitula allegarentur requirerentur inter Capitula Decretalium, vel Sexti.

29 Recensitarum hactenus Juris Canonici Partium non est par authoritas. Decretales enim, quæ approbatæ fuerunt à Gregorio Nono, Sextus approbatus à Boni-

Bonifacio Octavo, Clementinæ, & Extravagantes à Clemente Quinto, & Joanne XXII. Pontificibus approbatæ, vim legum habent, quia legem condere unius est Principis per *Text. in l.* 8. *Cod. de legibus*.

30 Decretum autèm Gratiani, cum à nullo Romano Pontifice fuerit expresè approbatum, quatenùs refert SS. PP. sententias, nunquam vim legis habere potest ex defectu potestatis in Condente, cum SS. PP. non habuerint in Ecclesiâ facultatem condendi legem. Quatenùs verò recenset decreta Conciliorum Generalium, & Summorum Pontificum Constitutiones, vìm legis obtinet, dummodò Canones ibi relati concordent cum suis Autographis. *Ità Tholos. lib.* 1. *partit. Canonic. c.*1. *nu.*12. *Barbos. in proœm. Decreti nu.*6. ac innumeri apud ipsum, & *Sac. Rot. Romana decis.*480. *coram Penia numer.* 18. præcipuè cum Baronius *ad Annum* 664. *num.*4. *& ad Annum* 774. *num.* 4. Gratianum nimiæ credelitatis reum pronunciet.

31 Nec dici debet Gregorium XIII. illud approbasse, ut colligi videtur ex ejus Epistola in principio Decreti appositâ. Prout enim respondet *Rota coram Penia decis. citata* Gregorius XIII. solùm à pluribus mendis, quæ irrepserant, fortasse ob Typographorum incuriam, dictum librum purgari curavit, & emendationes illius servari mandavit, non autem dictum librum tanquam

32 legalem authenticavit. Licèt autèm ille vim legis per se non habeat, maximæ tamen authoritatis est in Jure nostro, ideòque quotidie, ac passim in Decisionibus causarum allegatur, & in scholis publicè exponitur, imò ipsi Romani Pontifices sæpè sæpiùs illum citarunt, ut videre libet ex *cap. continebatur*, *de desponsat. impuber. cap. Nobis*, *de Jurepatr. cap. relatum*, *de testam. & Clem.* 1. *de Jurejur.*

His

33 His circà originem, & partes Juris Canonici prænotatis ad illius objecta partialia accedamus, quæ juxtà Lancellottum tria dicimus esse; *Personas* nempè, *Res*, & *Judicia*, de quibus omnibus in distinctis tribus partibus agemus, additâ quartâ, in quâ de actionibus Ecclesiasticis, seu *Censuris* sermo erit: Ea
34 tamen consultò omittemus, quæ ad Juris prudentiam Civilem, vel Criminalem propriè spectare videntur, ne in alienam messem falcem immittamus. Sed antequam ad primam partem accedamus, sit.



TITU-

TITULUS PROÆMIALIS

De Constitutionibus.

1 A Genere ad speciem legitimum,ac methodicum fieri descensum Dialectica monet.Cum igitùr Institutiones Canonicas ritè exordiri in Animo habeam,non in opportunum censeo,antequàm ad specificam Ecclesiasticorum Canonum notionem deveniam, aliqua de ipso Jure Canonico,seù Ecclesiasticis Legibus in genere acceptis prælibare,Summorum Pontificum Bonifacii Octavi,& Gregorii Noni ordini me subscribens , qui sub ipso Decretalium initio, secundum Titulum *de Constitutionibus* inscribunt, quod
2 idem est , ac de essentiâ , vi , & potestate Sacrorum Canonum genericè acceptorum disserere .

CAPITULUM I.

Quid, & quotuplex sit Constitutio,& ad quem spectet Constitutiones Ecclesiasticas condere .

3 Constitutio , prout hìc strictè accipienda venit ; nil aliud importat , præterquam *Jus scriptum , quod Summus Pontifex , Imperator , aut alius Princeps supremus constituit* , juxtà *Text. in Canon. Constitutio distinct.* 2.

4 Constitutionum aliæ Civiles sunt , seu prophanæ ; Ecclesiasticæ aliæ , aut Canonicæ Civiles dicuntur

illæ, quæ à poteſtate Sæculari; Canonicæ autèm, quæ à poteſtate Eccleſiaſticâ feruntur.

5 Subdividuntur Canonicæ Conſtitutiones in plures ſui ſpecies, quæ referuntur *à Gloſſ. diſtinctione* 3. *in ſumma verbo omnes*.

6 Prima harum ſpecierum eſt *Canon*, qui ſtrictè acceptus, eſt Conſtitutio Eccleſiaſtica edita in aliquo Concilio univerſali. Secunda nuncupatur *Decretum*,
7 eſtque Conſtitutio à Papa edita de Conſilio Cardinalium, ſed ad nullius petitionem. Tertia dicitur *Epi-*
8 *ſtola Decretalis*, quam ſcilicèt Pontifex, vel ſolus, vel de Cardinalium Conſilio ad alicujus petitionem, & conſultationem ſcriptis exarat, & promulgat.
9 Quarta vocatur *Dogma*, Conſtitutio nempè Eccleſia-
10 ſtica ſpectans ad doctrinam fidei Chriſtianæ. Quinta dicitur *Mandatum*, ideſt doctrina pertinens ad mores,
11 & fidelium diſciplinam. Sexta vocatur *Interdictum*, hoc eſt Conſtitutio prohibitiva ſinè pœnâ. Ultima
12 dicitur *Sanctio*, ſcilicèt Conſtitutio prohibitiva cum pœnâ, quæ ſcilicèt certam pœnam inobedientibus irrogat.

13 Uſus tamèn nunc temporis obtinuit, quod illa nomina *Canones*, *Decreta*, & *Epiſtolæ Decretales* ſepè promiſcuè, ac prò Synonimis uſurpentur, & quod
14 Principum Sæcularium Cõſtitutiones *Leges* vocentur; illæ verò, quæ à Summis Pontificibus conditæ ſunt, ſimplicitèr, & abſolutè vocentur *Decreta*, ſeu *Conſtitutiones*.

15 Habita multiplici Conſtitutionum Eccleſiaſticarum acceptione, altera pars inſcripti capituli in quæſtionem inſtauratur, qua quæritur: Quinam habeant poteſtatem leges Eccleſiaſticas condendi.

16 Reſpondeo primò, hanc poteſtatem, quoad univer-
ſam

sam Ecclesiam, competere Summo Pontifici, & ab ipso dependentibus, scilicèt ejus Legato intrà fines suæ Legationis *cap. fin. de officio Legati*; Episcopo in sua Diœcesi *cap. 2. de majoritate, & obedientia*; Archiepiscopo in Concilio Provinciali; Cardinali in Ecclesia sui Tituli, in qua jurisdictionem habet, quasi Episcopalem *cap. 11. de majoritate, & obedientia*; Abbati, vel alteri Prælato obtinenti in suo Territorio jurisdictionem quasi Episcopalem. Ità *Hostiensis in summa tit. de constitutionibus num. 3. & 4.*

17 Advertendum, quod Episcopus possit in sua Diœcesi Statuta condere absquè consilio Capituli Cathedralis, quià jurisdictionem, quam habet, acceptam refert à Pontifice, non à Capitulo. Ità *Abb. in c. cum consuetudinis de consuetudine num. 5.*

18 Quæ tamèn conclusio non procedit: Primò si Episcopus Statuta conderet de rebus arduis, & gravibus; tunc enìm saltèm consilium Capituli requirere debet, juxtà *Abbatem loco citato*. Ratio est, quià Episcopus, & Canonici constituunt unum Corpus, cujus ille est Caput, hi membra.

19 Secundò non militat assertio, si condenda sit Constitutio circà res spectantes ad Episcopum, & Capitulum simùl, vel circà res, quæ possunt cedere in
20 damnum Cleri, aut Capituli. Quod si Capitulum absquè justa causa consensum denegat, adhuc valent Statuta ab Episcopo, quià in prædictis casibus Jus non consensum, sed merum potiùs consilium Capituli exigit, juxtà *Abbatem ubi suprà*.

21 Jàm verò quæsito superiùs facto secundò respondeo, Concilium universale potest condere Constitutiones totam Ecclesiam obligantes, modò illis Summus Pon-
22 tifex consensũ prębeat, & illas confirmet; Sicuti paritèr

Statuta facta à Concilio Provinciali, vel Synodo Diœcesana vìm legum obtinent intrà limites Provinciæ, vel Diœcesis. *Ità Suarez lib. 4. de legibus cap. 6. n. 1. & 2.*

23 Respondeo tertiò. Vacante Ecclesia Cathedrali potest Capitulum Statuta condere totam Diœcesim obligantia, & duratura etiàm post electionem novi Episcopi, nisì huic ea revocare visum fuerit expediens. Ità *Suarez loco cit. num. 14. & 17. Abbas in cap. cum olìm num. 7. de majoritate, & obedientia, pluresquè apùd ipsos*. Ratio est, quià ordinaria jurisdictio Episcopalis, tàm in temporalibus, quàm spiritualibus Sede vacante devoluitur ad Capitulum, *cap. cum olìm cit.* ergò potest facere quidquid potest Episcopus, nisi illi specialitèr prohibitum reperiatur: sed Episcopus potest leges condere totam Diœcesim obligantes, & hoc Sede vacante facere Capitulo prohibitum non reperitur: ergò &c.

24 Nequit autèm Capitulum Episcopo vivente leges condere in rebus gravioribus sinè consensu, & Episcopi authoritate, puta si vellet aliquid statuere circà illa jura, quibus Ecclesiæ status, vel antiquæ consuetudines mutarentur, ut liquet *ex cap. cum accessissent, de Constitutionibus*. Ratio est, quià Capitulum, spectato Jure communi, & seclusis Privilegiis, ac Consuetudinibus, non habet Sede non vacante Ecclesiasti-
24 cam jurisdictionem, cum solus Episcopus sit Caput, & Pastor ordinarius Diœcesis; potest tamèn Capitulum Sede non vacante leges ferre, circà administrationem suorum redditiuum, & res aliquas minores. Ratio est, quià quamvìs vivente Episcopo Capitulum Cathedrale Ecclesiasticam jurisdictionem simplicitèr, & absolutè non habeat, habeat tamèn exercitium talis

talis jurisdictionis à Superiore sibi concessum, vel consuetudine acquisitum circà res suas administrandas, vel aliud simile peragendum; juxtà DD. superiùs laudatos.

26 Quæ diximus in Capitulo Cathedrali, repertas (nam verum asseres) in Communitatibus Ecclesiasticis inferioribus, & Ecclesiis Collegiatis, qnæ in rebus gravioribus Statuta facere nequeunt sinè consensu Episcopi; possunt tamèn ea facere in rebus minoribus pertinentibus ad Communitatis Administrationem, etiàm sinè Episcopi consensu *juxtà Innocentium in cap. cum accessissent num. 2. de Constitutionibus*. Ratio est, quià quamvis talia Statuta non obligent ex vi Statuti, seù ratione jurisdictionis; obligant tamèn per modum conventionis, seu pacti initi intèr membra talis Communitatis, vigore cujus tacitè se obligasse censentur ad præstandam observantiam, & obedientiam iis omnibus, quæ à Communitate ipsa Statuta

27 fuerint. Quod si dictæ Communitates, seu Ecclesiæ Collegiatæ, ratione alicujus privilegii, vel consuetudinis præscriptæ, jurisdictionem haberent, tunc procùl dubio leges propriè dictas condere possent juxtà modum suæ jurisdictionis.

28 Deniquè Communitates Religiosæ, eorumque Prælati possunt ferre leges, & Statuta propria juxtà modum in regula præscriptum, consuetudines, & privilegia.



CAPI-

CAPITULUM II.

Quomodò, & quandò obliget Lex Ecclesiastica.

29 Certum est cum *S. Tho.* 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. & cum Canonistis communitèr *in cap. nam concupiscentiam, hoc titulo* leges humanas justas obligare in conscientia sub peccato gravi, si materia subjecta sit gravis, juxtà illud Apostoli ad Romanos *c.* 7. *Peccatum non cognovi nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: non concupisces*. Omnes enim, (ut ipsum lumen naturæ docet) tenentur in conscientia obedire omnibus justis præceptis, seù legibus sui Superioris, alioquin, ut ajebat idem Paulus ad Romanos *cap.* 13. *ordinationi Dei resistunt, & ipsi sibi damnationem acquirunt*

30 Quæstio solùm insurgit, quandò lex Ecclesiastica incipiat obligare; (non nisi enìm de sanctionibus Ecclesiasticis meus futurus est sermo, cum illas tantùm, non etiàm Civiles, Canonistæ munus sit trutina expendere.)

31 Dico igitur primò. Non oritur obligatio ex ulla Lege, nisi post ejus publicam promulgationem *l. leges C. de legibus, & Can. in istis §. Leges, distinct.* 4. Lex enìm est præceptum publicum obligans totam Communitatem; ergò non potest eam obligare, nisi fuerit illi publicè denunciata, vel voce Præconis, vel per affixionem in loco publico, vel alio modo.

32 Dico secundò. Si Legislator expresserit certum tempus, à quo velit incipere obligationem suæ legis, v. g. post

post tot dies, post mensem, &c. ejus voluntas servanda est, à quâ tota lex pendet, & vim obligandi assumit. Ità *Abb. in c. 2. hoc tit. num. 7.*

33 Dico Tertiò. Quamvis Constitutiones Civiles, seù Cesareæ non habent vim obligandi, nisi post habitam earum promulgationem in singulis Provinciis, & ab illâ bimestri elapso, *per text. in Autentica, ut factæ novæ*

34 *Constitutiones, &c. collatione 5.* tamèn Constitutiones Pontificiæ statìm incipiunt obligare, ac in Romanâ Curia fuerint promulgatæ, non expectato lapsu duorum mensium. Ità *Abb.*, qui quamvis contrariæ adhæserit sententiæ *in c. 2. n. 7. in fin. hoc tit.* tamèn ab ea recessit *in cap. noverit, de. sent. excom. in fin. Christin. dec. Belgic. 53. per tot. vol. 1. Rota dec. 69. nu. 33. & dec. 123. nu. 18. par. 12. rec.* & cum ea DD. communiter; dicta enim Civilis Constitutio non fuit usu recepta à Sacris Canonibus, & à stylo Romanæ Curiæ, ut videmus in Bulla Cœnæ Domini, quæ Romæ tantùm promulgatur, & omnes obligat: Ac in regulis Cancellariæ, quarum publicatio Romæ tantùm facta afficit, & extenditur ubique locorum *Tusch. litt. L. conclus. 255. per tot. Dian. parte 1. tract. 10. resol. 8. & parte 7. tract. 1. resol. 28. Christin. dec. 342. vol. 1.*

35 Verum tamèn est, quod absentes illicò obligabuntur à lege Pontificia, post tempus moralitèr sufficiens, spectata distantia locorum, ad habendam notitiam promulgationis legis; lex enìm non obligat ad impossibile, nec modo impossibili. Ità *text. in c. 1. §. Nec obstaret, de concess. præben. in sexto.*

36 Obiicies primo. *Text. in c. 1. de nov. oper. nuntiat.* ait, quod in casu, quo diversum non habeatur dispositum de Jure Canonico, judicandum sit secundùm Jus Civile; ergò cum de Jure Civili ad inducendam obligationem

nem

nem legis requiratur promulgatio in qualibet Provincia, & lapsus duorum mensium, idem paritèr requiretur à Jure Canonico, in quo diversa dispositio non reperitur.

37 Respondeo primò, dictam regulam habere locum in Judiciis, & Decisionibus Causarum, non autèm quoad modum ferendi leges, cum Summus Pontifex illarum lator objecta regula non restringatur.

38 Respondeo secundò, contrarium non fuisse dispositum à Jure Canonico scripto, sed bene à Jure Canonico consuetudinario, & non scripto, quod habet vim legis in defectum legis scriptæ, ut notum est Lippis, & Tonsoribus.

39 Obiicies secundò. *Text. in cap. cum infirmitas, de Pænit. & remiss.* ubi habetur constitutionem *in dicto text.* existentem publicandam esse per Prælatos locorum.

40 Respondeo, ibi specialem, & distinctam publicationem non requiri ad inducendam obligationem legis, sed ad incurrendam pœnam ab inobedientibus legi. Jubetur enìm Medicis monere Infirmos de accersendo Medico Spirituali, aliàs dicitur arcendos fore ab ingressu Ecclesiæ: & ad effectum incurrendi hanc pœnam, mandatur Prælatis locorum publicatio legis.

41 Obiicies tertiò. *Text. in cap. fin. ne Clerici, vel Monachi, & cap. noverint de sent. excom.* ubi videtur exigi lapsus bimestris ad hoc, ut lex obliget.

42 Respondeo negando assertum. In dictis enìm locis statuitur lapsus temporis præfati, non ad effectum inducendi obligationem legis, sed pro sufficienti admonitione ad incurrendas censuras in dictis Textibus comminatas contrà Monachos extrà Claustra vagantes, & facientes, aut servantes statuta adversùs libertatem

tatem

tatem Ecclesiasticam; illi autèm duo Menses semper requirentur ad contrahendam excommunicationem, etiàm post longissimum tempus à promulgatione legis.

43 Non secùs àc diximus de lege Pontificia, dicendum erit de Constitutionibus ab Episcopo, vel inferiore Prælato factis, quæ illicò obligabunt post promulgationem illarum habitam in Curia Principis, vel in Ecclesia Matrice, aut alio loco consueto, juxtà consuetudinem Regionis. Ità *Hostiensis in Sum. tit. nostro num.* 414.

CAPITULUM ULTIMUM.

Quosnam obligent Constitutiones Ecclesiasticæ.

44 LEges Ecclesiasticæ promulgatæ omnes Subditos Ecclesiæ obligant, ideſt omnes baptizatos; Quisque enim tenetur servare præcepta superiorum,
45 quibus est subjectus *c. ult. in princ. hoc tit.* Imò obligant etiàm laicos in Causis spiritualibus, & quæ per se directè tendunt ad salutem animarum, quià quoad illas etiàm laici Jurisdictioni Ecclesiæ subduntur *Can. duo sunt, & seqq. dist. 96. c. omnes, de majorit. & obed. & cap. novit., de judic.*

46 Limitatur tamèn conclusio quoad Judeos, Infideles, cæterosque non baptizatos, qui Statutis Canonum non ligantur, cum non sint Ecclesiæ subjecti, & de his, qui foris sunt Ecclesia non judicet *Can. multi 2. quæst. 1. cap. de Infidelibus, de consanguinit., & af-*
47 *finit. & cap. gaudemus, de divort.* Quod tamèn intelligendum venit de Legibus Ecclesiasticis, & pœnis

C spiri-

ſpiritualibus animam ferientibus ; nàm etiàm Judæi , cæterique Infideles intèr Chriſtianos morantes ſubjecti ſunt legibus temporalibus , & corporalibus Magiſtratus , & Superioris loci, in quo verſantur, ſi pacem Reipublicæ turbent , vel nitantur in vetita . *l. Judeis, & l. ult. C. de Judeis , & c. in non nullis eodem tit.*

48 Quæres autem an in foro externo ſervandum ſit Jus Canonicum , vel Civile .

49 Dico primò : In foro Eccleſiaſtico eſt ſervandum Jus Eccleſiaſticum ; in Civili , Civile ; quià poteſtas Eccleſiaſtica àc ſæcularis , ſunt poteſtates intèr ſe diſtinctæ , àc ſeparatæ . Ità *gloſſ. in cap. 2. verbo lex civilis , de arbitr. in ſexto . Abb. in c. 1. de nov. oper. nunciat. num. 7.*

50 Dico ſecundò: Si materia ſit ſpiritualis, quæ animarum ſalutem concernat, in eâque aliud reperiatur ſtatutum à Jure Civili, aliud à Canonico, ſervandum eſt Jus Canonicum , non autem Civile quoad ſententiam ferendam , & Cauſæ deciſionem; quià in tali caſu Lex Civilis cenſetur correcta , & abrogata per Canonicam *Can. 1. , & ſequent. diſtinct.* 10. *Abb. loco cit. num. 5.*

51 Ità cenſentur correctę leges Cœſareæ impunè permittentes concubinatus , exactiones uſurarum , occiſionem Adulteri cum filia à Patre , vel cum Uxore à Marito deprehenſi &c.

52 Dico ultimò : Si in aliquâ materia temporali, & politica nihil habeatur diſpoſitum à Jure Canonico , & ex alia parte adſit diſpoſitio expreſſa Juris Civilis , tunc etiàm in foro Eccleſiaſtico ſervandę ſunt Leges Civiles : & ità parifomitèr dicas in caſu oppoſito ; ut enim ait *Text. in cap. 1. de nov. oper. nunciat. Sicùt leges non dedignantur Sacros Canones imitari , ità , & ſacro-*


Sacrorum Statuta Canonum Principum Constitutionibus adjuvantur.

53 Sicque Supremis, ut ita dicam, labiis hausta notitia Canonum Ecclesiasticorum in specie, reliqua, quæ ad hunc titulum spectarent, facilè erit consulere apùd Theologos Morales, quibus tractatum *de legibus*, abundè satìs instituere, solemne est. Inscribatur à me interìm.

* * *







PARS PRIMA

TITULUS PRIMUS

De Jure Perſonarum.

1 UO ſunt genera Perſonarum : unum Laicorum, alterum Clericorum. Clerici ità dicuntur à verbo græco *Cleros*, quod latinè *ſortem* ſignificat; veluti in ſortem, & partem Domini vocati; cum è contrà Laici ità appellantur à græca paritèr voce *Laos*, quæ latinè *Populum* ſonat *Can. duo ſunt* 12. *quæſt.* 1.

2 Clericorum diviſio (de quibus nobis ſpecialitèr eſt agendum, ut illis cognitis, juxtà regulam contrariorum, etiàm Laicos dignoſcamus) multiplex eſt; ſatiùs tamèn erit ſingulas ejus ſpecies intueri in diſtin-
ctis,

ctis, & ſeparatis titulis inferiùs ponendis, nè ſub primo tractationis limine obſcurus fiam.

3 Sciendum nunc primò Fœminam eſſe incapacem Clericatus, ratione ſexus ex divina Inſtitutione impedientis *gloſſ. in Can. Diaconiſſam* 27. *quæſt.* 1. *in verb. Ordinari*.

4 Nec obſtat dictus *Text. in Can. Diaconiſſam*; cœterique, qui adduci poſſent ex veteribus Canonibus, vel Conciliis deprompti, ex quibus conſtat plures ex fœminis nunc vocari Diaconiſſas, nunc Subdiaconiſſas, modò Presbyteras, & modò Epiſcopas.

5 Non enìm unquàm dici poterit eas Ordinis fuiſſe capaces, vel characteris clericalis. Præsbyteræ enim,
vel dicebantur antiquitùs Viduæ ſeniores, quæ ob
ætatem aliis præerant, prout accipiuntur *in Concilio*
Laodicen. Can. ultimo, vel eo quià, Viris ſuis in Preſ-
byteros electis, ipſæ interim ab iis ſeparatæ vitam cę-
libem agebant, ut liquet *ex Conc. Turonenſi ſecundo*
6 *Can.* 20. ſicque dicebantur Epiſcopæ, quarum Viri
7 fuerant ad Epiſcopatum promoti; & Subdiaconiſſæ,
quarum Viri fuerant Diaconatus Ordine inſigniti, ut
ex dicto Conc. Turonen. loco cit. & Can. 44. ſeù etiàm
8 Diaconiſſæ dicebantur tempore Apoſtolorum, quæ
præerant Eccleſiæ Januis, per quas ſolæ Mulieres ingrediebantur, illaſque præſtò erant in lavacris, viſitationibus, laboribus &c. & de facto eas intèr laicas ſacroſancta Nicena Synodus connumeravit *Can.* 19.

9 Quod ſi ſecundò quæras: An Hermafroditus, hoc eſt utroque ſexu donatus, Clericatu donari poſſit.

10 Reſpondeo cum diſtinctione. Vel enìm in ipſo pręvalet ſexus maſculinus, vel prævalet fœmininus, vel eſt parilitas in utroque ſexu. Si prævalet fœmininus, vel adeſt parilitas in utroque ſexu, ad Clericatum promo-

promoveri nequit, quià in hoc casu fœmina reputatur; si verò prævalet masculinus, Clericus fieri poterit, cum tunc Mas censeatur. Ità *Card. Turrecr. in Can. si Testes §. Hermaphroditus num.* 2. 3. *&* 4. *quæst.* 3. *Bellett. disquisit. Clerical. par.* 1. *tit. de discipl. Clerical.*
11 §. 8. *num.* 1. *& seqq.* nisi tamèn vitium esset notorium, quià tunc proptèr scandalum Populi non esset promovendus. Ità *Archid. in Can. Diaconissam num.* 2. 27. *quæst. primò*

12 Tertiò non baptizatus nequit fieri Clericus, per *Text. in cap.* 1. *&* 3. *de Presbyt. non baptiz.* Rationem reddit *D. Thom.* 3. *parte, quæst.* 35. *art.* 3. *Quià cum baptismus sit generatio spiritualis, qui non est genitus in Ecclesia, quomodò poterit cum aliis Fidelibus ad Spiritualia concurrere?*

TITULUS SECUNDUS

De Vita, & Honestate Clericorum.

HONESTAS in Clericis à Jure Canonico requisita in tribus consistit.
1 Primò in vitæ probitate, & honesta con-
2 versatione. Secundò in honesto, àc decente vestitu,
3 & habitu. Tertiò in exercitio munerum, & negotiorum statui convenientium.

4 Ratione igitùr primi requisiti jubetur primò Clericis, ut sub pœna suspensionis ab officio, vel Beneficio absti-

abſtineant à crapula, & ebrietate. *Text. eſt in cap. à Crapula hoc titulo*, ob rationem à Textu allatam *cum ebrietas, & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum*, juxtà illud D. Pauli *ad Epheſ. cap.* 18. *Nolite inebriari Vino, in quo eſt luxuria.*

5 Quarè Sacerdotibus Moſaicæ legis uſus Vini interdictus erat, in *Levit. cap.* 9.

6 Obiicies tamèn primò contrà hoc, laudatum Divum Paulum ajentem *cap.* 2. *ad Coloſſenſes*: *Nemo vos judicet in cibo, & potu.*

7 Reſpondeo, ibi Apoſtolum non improbare ſobrietatem, & jejunia, ſed impugnare Judæorum abſtinentiam, qui, juxtà præcepta cæremonialia legis veteris, abſtinebant à quibuſdam cibis.

8 Obiicies ſecundò Chriſtum Dominum *Matth. cap.* 15. ſic pronunciantem. *Quod intrat per os non coinquinat Animam.*

9 Reſpondeo cum *D. Thoma* 2. 2. *quæſt.* 148. *art.* 1. *ad primum* ibì Chriſtum Dominum impugnare Scribas, & Phariſæos putantes aliquos cibos à veteri lege prohibitos, puta Carnem Suillam, ex ſe, & de ſui natura eſſe malos, àc coinquinare ſpiritualitèr Animas comedentium; cæterùm non negat, quod inordinata ciborum concupiſcentia ex ſe coinquinet Animam ſpiritualitèr: & hoc quidèm, non quià ſint ex ſe mali cibi, ſed quià eſt malus inordinatus appetitus illorum.

10 Obiicies tertiò illud *Pſal.* 64. *Viſitaſti Terram, & inebriaſti eam*, ac aliud Sac. Canticorum: *Comedite amici, bibite, & inebriamini.*

11 Reſpondeo in dictis, ac ſimilibus Scripturæ locis ebrietatem ſumi pro ſaturitate, & plenitudine ſpirituali, vel temporali, ſicuti etiàm à Plauto ebria cæna

dicta

dicta fuit, opipara, vel plena, & alibi etiàm de Beatis Compræhensoribus loquens Scriptura dicit: *Inebriabuntur ab ubertate Domus tuæ*.

12 Obiicies ultimò *Text. in cap. si constiterit, de accusat.* ubi ponitur casus de quodam Sacerdote ebrioso, qui tota nocte pernotavit in Taberna, ac sequenti die, absquè ulla dormitatione, Missam celebravit, & consultus Pontifex an deberet privari Beneficio, seù Ecclesia quam habebat, respondit: quod si constet dictum Beneficium, seù Ecclesiam habuisse in Commendam, perpetuum illi silentium imponatur, sin autèm appareat dicta Beneficia fuisse legitimè, & in titulum perpetuum provisum, nec constet ipsum perpetrasse delictum, ratione cujus Beneficio sit privandus, dictam Ecclesiam pacificè retineat: ergò falsum est, quod dicitur in nostro *cap. à crapula, hoc Titulo*, quod Clericus vinolentus, sit privandus Beneficio.

13 Respondeo primò in nostro Text. non decerni necessariò contrà Clericum ebriosum privationem Beneficii, sed tantùm alternativè, quod nempè sit suspendendus, vel ab officio, vel à Beneficio; quarè in casu objecti Text. non debebat necessariò dictus Clericus vinolentus privari Beneficio, cum sufficientèr puniretur si suspenderetur ab officio tantùm.

14 Respondeo secundò, privationem Beneficii comminatam à Jure in Clericum vinolentum, esse privationem temporalem; quarè cum in themate Text. oppositi ageretur de privando hujusmodi Clerico in perpetuum, optimè respondit *Pont. in dicto cap. si constiterit*, quod talis pœna non haberet locum contrà Clericum hujusmodi.

15 Redeundo jàm ad primam conditionem à Jure in Clericis requisitam, sciendum est illius ratione ipsis

vitium Incontinentiæ severiùs, quàm Laicis prohiberi, circà quod extat integer titulus in Decretalibus inscriptus *de cohabitatione Clericorum, & Mulierum*.

16 Novissimè autem *Trid. Synodus sess. 25. cap. 14. de reformatione* disposuit; ne Clerici Concubinas, aut alias Mulieres suspectas Domi, vel extrà retinere possint, & cum illis consuetudinem habere, & si à Superioribus moniti non abstinuerint, privandi sint tertia parte pensionum, ac beneficiorum quorumcumque, & si post secundam monitionem non parverint, omnes fructus amittant, & ab administratione beneficiorum suspendantur, quousque ità Ordinario visum fuerit; sique ità suspensi adhuc in errore persistant, pensionibus, beneficiis, & officiis quibuscumque Ecclesiasticis perpetuò priventur, reddanturque inhabiles ad alia obtinenda, donèc per manifestam emendationem, eorum Superioribus cum illis visum fuerit dispensandum; Quod si dimissas hujusmodi Mulieres denuò ad se revocent, & iterùm cum iis versentur, excommunicandi sint: Alii autem Clerici non beneficiati, & hujus criminis rei puniendi erunt modò carcere, modò suspensione ab Ordine, modò aliis pœnis à Sac. Canonibus comminatis.

17 Nota tamèn primò, hoc decretum *Tridentini* non habere locum in qualibet incontinentia Clerici, sed in solo Concubinatu, & requiri, quod Clericus saltèm bis id criminis commiserit, juxtà *Garz. de benefic. parte 11. cap. 10. num. 186. & Farinacc. in prax. crimin. part. 5. quæst. 138. num. 12. & 74.*

18 Nota secundò, sub nomine fructuum amittendorum venire etiàm distributiones quotidianas, juxtà *Garz. d. num. 186. declarat. 9. & Monet. de distribut. quotid. part. 3. quæst. 10. num. 56.*

Nota

19 Notà tertiò, Monitiones faciendas ab Episcopo hujusmodi Clericis concubinariis debere esse speciales, nec satis esse si fiant generalitèr per Edictum, vel in Synodo Dioecesana *Garz. loco cit. declar.* 4. *& Barbos. in Conc. dicta sess.* 25. *cap.* 14. *de reform. num.* 9.

20 Obiicies tamèn primò principium illud, quo docemur: id quod lege permittente fit, legitimè factum appellari; sed Concubinatus à legibus est permissus, ut ex *tot. ff. de concub.* ergò &c.

21 Respondeo, esse quidèm permissum à Jure Civili, secùs autèm à nostro Jure Canonico; & ratio discriminis est, quià Jus Civile respicit tantùm bonum Communitatis politicæ, & civilis; Jus verò Canonicum respicit bonum cujuscumque Civis, & salutem Animarum.

22 Sed urgebis primò. Etiàm de Jure Ecclesiastico est permissus concubinatus, nam *in Can. Meretrices* 32. *quæst.* 4. *ait Augustinus* sub præcepto Decalogi *non mœchaberis* prohiberi tantùm Mæchìam, seù Adulterium, non autèm simplicem fornicationem, vel concubinatum.

23 Respondeo. Prosequere lecturam objecti Textus, & solutio apparebit. Subdit enìm Augustinus, per dictum præceptum non prohiberi formalitèr nisi adulterium, quod unicè venit sub nomine Mæchìæ; prohiberi autèm interpretativè quemlibet illicitum concubitum, adeòque etiàm concubinatum, & fornicationem: sicuti per præceptum *non furtum facies* intelligitur prohibita omnis illicita usurpatio rei alienæ, & sic etiàm Simonia, Usura &c. *Non enìm*, ait S. Doctor *Rapinam permisit, qui furtum prohibuit, sed utique à parte totum intelligere voluit quidquid illicitè rerum proximo aufertur.*

24 Urgebis secundò: Quod est vetitum ut peccatum,
non cadit sub præcepto; sed fornicatio, seù concubi-
natus fuit aliquandò à Deo præcepta; ergo &c. Pro-
batur Minor *ex c.1. Osee Prophetæ* ubi: *dixit Dominus*
ad Osee. Vade sume tibi uxorem fornicationum, & fac
tibi filios fornicationum, quià fornicans fornicabitur
terra à Domino.

25 Respondeo, cum eximio interprete sacrarum Lit-
terarum *Cornelio à Lapide in dictum Text.* Ibi Deum non
jussisse Prophetæ, ut fornicaretur, sed præcisè ut du-
ceret in Uxorem legitimam fœminam quamdam, quæ
26 usque tunc Meretricium exercuerat in lupanari; ideò-
que hoc jussisse, ut Propheta in se ipso repræsentaret
per hunc actum ipsum Deum, qui quamvìs in Uxo-
rem suam mysticam duxisset synagogam; prævidebat
tamèn ipsam à Cœlesti verò Sponso suo fornicaturam
fore, & Idòlis, voluptatibusque suis, quasi Amasiis
adhæsuram, à vero Dei cultu aberrando, ob quam
rationem sæpè sæpiùs in sacra Scriptura Idolatria di-
citur mysticè fornicatio; hancque Domini fuisse vo-
luntatem ostendit clarissimè causa, quam sui manda-
ti reddit his verbis, *quià fornicans fornicabitur terra à*
27 *Domino*: Subdit autèm, *& fac tibi filios fornicationum*;
Primò quià filii, quos Osee à dicta fœmina debebat
suscipere, futuri erant filii Matris, quæ anteà fuerat
fornicaria, & per consequens hanc infamiæ notam
28 transmittebat in prolem. Secundò quià, & ipsi, ac-
commodando se moribus antiquis Matris, futuri erant
proclives ad fornicationem, cum in se mysticè debe-
rent repræsentare Judæos in Idola, & spiritualem for-
nicationem proclives, pròut de illis loquens subjun-
git Deus ejusdem Osee 2. *vers.* 4. *Filiorum ejus non*
miserebor, quià filii fornicationum sunt.

Obiicies

29 Obiicies secundò *Can.* 17. *Concilii Toletani primi* relatum *in Can. is qui non habet*, *dist.* 34. ubi dicitur illos admitti posse ad communionem, qui una Muliere contenti sunt, sive ea sit Uxor, sive Concubina.

30 Respondeo: Antiquitùs duo genera Uxorum fuisse; aliquæ enim ducebantur non solùm ad procreandos liberos, sed etiàm ad societatem omnium Bonorum, & totiùs Domus gubernationem; & hæ dicebantur Uxores, ac propriè Matres familias, earumque filii tantùm Parentum erant hæredes. Aliæ verò ducebantur privatim, nullisque intercedentibus Instrumentis dotalibus, ad solum finem suscipiendi liberos, non autèm ad effectum admittendi eas ad societatem, & Domus gubernationem, & istæ vocabantur Concubinæ, de quibus unicè loquitur Textus objectus, ac in hoc sensu multotiès in scripturis sanctis dicitur veteres Patriarchas plures habuisse Concubinas; Illis ta-
31 mèn ex speciali dispensatione Dei per peculiarem inspirationem manifestata, permissum erat cum pluribus fœminis habere consortium ad faciliorem generis humani propagationem; transacto enìm diluvio Mundus paucis Hominibus, iisque non diù viventibus erat re-
32 fertus; hæc autèm dispensatio per Christi àdventum sublata fuit, imò etiàm antè illum cessasse testatur Eminentissimus Bellarminus *controv. tom.* 3. *lib.* 1. *de matrim. Sacram. cap.* 11. *per tot.* à quo hactenùs dicta desumpsi.



CAPI-

CAPITULUM I.

Expenditur ſecundum requiſitum ad Vitam, & Honeſtatem Clericorum.

33 DEveniendo jàm ad ſecundum requiſitum, quod
exigit Clericalis honeſtas, nempè decentem in-
ceſſum, & habitum. Sciendum eſt Clericos omnes
debere incedere tonſuratos, cujus tonſuræ vetuſtiſſi-
mam originem *Iſidor. de divino Officio lib. 2. c. 4.* his
34 verbis retexit *Tonſuræ Eccleſiaſticæ uſus à Nazaræis
(niſi fallor) exortus eſt, qui priùs crine ſervato, de-
nuò poſt vitæ magnæ continentiam devotione completa,
Caput radebant, & capillos in ignem ſacrificii ponere
jubebantur; hujus ergò exempli uſus ab Apoſtolis intro-
ductus eſt, ut hi, qui in divinis cultibus mancipati
Domino conſecrarentur quaſi Nazaræi, ideſt Sancti
35 Dei, crine præciſo innoventur.* Quod autem detonſo
ſuperiùs capite inferiùs circuli corona relinquatur;
plures hujuſmodi ritus ſignificationes adduci poſſunt.
36 Primò quidèm quatenùs eo ſigno regale Eccleſiæ
Sacerdotium denotetur. Secundò in ſignum Regni,
quod in Chriſto expectatur, ad mentem D.Hierony-
37 mi relati *in Cap. duo ſunt 12. quæſt. 1.* Tertiò alii
ſentiunt id à D. Petro; aliiſque Apoſtolis factitatum
fuiſſe, ac poſteà Eccleſia traditum in memoriam Spi-
neæ Coronæ impoſitæ Capiti noſtri Redemptoris. Et
38 ultimò eò quià D. Petrus Antiochæ evangelizans
ignominiæ cauſa in hunc modum detonſus fuerit,
quam deriſionis notam in honoris inſigne poſteà ver-
tit Eccleſia, prout ex Beda mutuatum refert *Emi-*

nentiſſi-

nentissimus Turretr. in Can. probibete distinct. 23. *in fine.*

39 Hisce nata primordiis Tonsura Ecclesiastica cum Ecclesia fęliciter propagata fuit, donec secundo sęculo S. Anicetus Papa, & Martyr illam decreto roboravit, injungens Clericis omnibus ejus delationem, prout videre libet in *Can. probibete distinctione* 23.

40 Hactenùs de tonsura, nunc de habitu Clericorum, qui non est in Jure specialitèr definitus, solùmque statutum habetur, quod ille esse debeat, ratione cujus Clericus à Laicis distinguatur, *Covar. pract. quæst. cap.* 31. *num.* 7. *vers. quartò illud Barb. de offic. Episc. parte* 2. *alleg.* 9. *num.* 2. *Pax Jordan. vol.* 2. *elucubrat. lib.* 10. *tit.* 37. *num.* 4. *Sperell. decis.* 17. *num.* 44. *& decis.*66. *num.*8. itaut quamlibet pompam excludat, ac talis sit, ut denotet Religiosum sanctioris vitæ Institutum, prout de pallio philosophico Africano stylo scripsit Tertullianus *lib. de pallio cap.* 6. *grande pallii beneficium est, sub cujus recogitatu improbi mores vel erubescunt.* Consule interim *Text. in cap.* 15. *hoc titulo, & in Clem. secunda eodem titulo*, quam Clementiam ampliando decrevit novissimè *Conc. Triden-*

41 *tinum sess.* 14. *c.* 6. *de reformat.* Clericos in sacris constitutos, vel Beneficia, aut Dignitates habentes, si post monitionem ab Episcopo factam, saltèm per edictum publicum, Habitum ordini congruentem non detulerint, suspendendos esse ab officio, vel beneficio; sique post secundam monitionem non parverint, etiàm illis fore privandos, cujus sanctionis rationem reddit idem Tridentinum his verbis: *quià, & sì habitus non facit Monacum, oportet tamèn Clericos vestes proprio congruentes ordini sempèr deferre, ut per decentiam habitus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant.*

Hanc

42 Hanc Constitutionem ampliavit posteà *Sixtus V. in Bulla incipien. = cum Sacrosanctam = intèr suas* 92. definiens: quod Clerici pensionem, vel beneficia obtinentes, nec in habitu clericali incedentes, ipso facto beneficiis, ac pensionibus privati censeantur. Quam tamèn Constitutionem in alia sua incipien. *Pastoralis* post supradictam immediatè sequenti, declaravit non procedere quoad habentes pensiones, quæ non excedant 60. ducatos auri de Camera, & quoad Ministros inferiores Palatii Apostolici, puta Paraphrenarios, Credentiarios &c. qui pensionibus quibuscumque fruantur.

43 Imò dictam Sixti Constitutionem; quatenùs jubet, quod Clerici, sivè in sacris, sivè in minoribus Ordinibus constituti non deferentes vestes talares, ipso jure sint privati beneficiis, non videri usu receptam testantur *Garz de benef. part*. 7. *cap*. 1. *num*. 23. *Gratian. discept*. 440. *lib*. 3. *num*. 2. *ibique Carol. Ant. de Luca num*. 2. *&* *Antonell. de Jur. & oner. Cleric. part*. 5. *lib*. 2. *cap*. 1. *num*. 8.

44 Adverte tamèn *dd. Trid. ac Sixti Constitutiones*, non habere locum, primò in Clerico, qui semèl tantùm habitum dimiserit; in dictis enim Constitutionibus requiritur perseverantia, itàut pro Laico communitèr reputetur. Ità *Farinacc. in prax. crim. part*. 1. *quæst*. 8. *num*. 68.

45 Secundò in Clerico, qui ratione paupertatis congruam vestem sibi non possit comparare. Ità *de Grass. de effect. Cleric. effect*. 1. *num*. 1175. *&* *Decian. tract. crimin. part*. 1. *lib*. 4. *cap*. 9. *num*. 109.

46 Tertiò in Clerico, dimittente habitum domi suæ, & in occulto *Ugolin. de Offic. Episc. cap*. 12. *num*. 3. *vers*. 4.

Quartò

47 Quartò in deferente ratione itineris vestes breviores *Bellet. Disquit. Clerical. tit. de discipl. Clerical.* §. 16. *n.* 14. & à fortiori in Clerico se in alium transformante quoad vestes ob effugiendum aliquod verosimile periculum *Decian. loco cit. Ricc. in collectan. decision. collect.* 956. *limit.* 4.

48 Ac ultimò in eo, qui nequeat ratione infirmitatis tonsuram deferre. Ità *de Grass. loco cit. num.* 1171. & *Bellet. loco etiàm cit.* §. 17. *num.* 9.

CAPITULUM II.

Examinatur tertium requisitum ad vitam, & honestatem Clericorum.

JAm verò sub tertio requisito ad honestatem clericalem, exercitio scilicèt officiorum, & negotiorum statui convenientium, plura huic statui contraria Clericis prohibita sunt.

49 Primò: siquidèm prohibetur illis alearum, vel taxillorum ludis incumbere, *per text. in cap. Clerici hoc tit. & cap. inter, de excess. prælat.* dummodò tamèn sint ludi, in quibus plùs sors dominetur, quam ingenium.

50 Intellige autem non prohiberi ipsis ludere recreationis causâ, dummodò ludant privatìm, & in modica quantitate, spectatis redditibus cujuscumque, in loco privato, & sinè aliorum scandalo *Cajetan. in Sum. verbo Clericus, &* 2. 2. *quæst.* 138. *art.* 3. *in fine. Card. de Lug. de Just. & Jur. tit.* 2. *disp.* 3. *sect.* 1. *n.* 11. *Less. d. tract. lib.* 2. *cap.* 26. *dub.* 1. *sub n.* 5. *Diana resol. moral. par.* 7. *tract.* 9. *resol.* 3. *Squillant. de oblig. Cleric. par.* 2. *n.* 46.

51 Secundò: Prohibetur Clericis usus cujuscumque

vilis exercitii, puta Lanionem agere, Tabernarium, vel Pantomimum, Vide *Text. in cap. unico, hoc titulo in Sexto, & in Clem. Diœcesani, hoc eodem titulo*; in quorum primo contrà Clericos Hystrionicam exercentes per annum privatio ipso jure infligitur privilegii clericalis, eademque statuitur pœna contra illam exercentes infrà Annum, si prius tèr ab Episcopo moniti fuerint, eademque pœna decernitur in dicta Clementina contrà Clericos præfatos vilibus ministeriis operam dantes, si post præfixum ab Ordinario terminum non obtemperaverint.

52 Tertiò: Venatiò Clericis est interdicta, si fiat frequentèr cum strepitu armorum, & clamore Canum.

53 *Text. in cap. 1. & 2. de Clerico Venatore*. Cœterum absquè dicto strepitu, ac recreationis causa visco, vel retibus, Aves decipere, ipsis non est vetitum; *gloss. in dicto cap. 1. in verbo voluptate Sylv. in Summa verbo venatio circà medium Squillan. loco cit. part. 2. num.* 47. adeòque si fiat recreationis gratia; exerceri poterit à Clerico venatio etiàm cum sclopeto, quià concesso fine censentur etiàm concessa media, à quibus pervenitur ad ipsum finem. *Ità Mart. de Jurisd. parte* 4. *centur. 1. cas. 57. num.* 17.

54 Prohibetur autèm Clericis præfata venatio: primò quià est umbra quædam, & præludium Belli, à quo

55 Clerici debent esse alieni; Secundò quià tale exercitium nimium sui studium exigit, ideòque maximè distrahit Clericos à servitio Ecclesiæ, cui sunt mancipati.

56 Obiicies tamèm primò *Text. in §. Feræ, Instit. de rer. divis. &c.* ex quo eruitur venationem à Jure naturali omnibus esse permissam; sed quæ sunt Juris naturalis a lege positiva tolli nequeunt, ut certum est: ergò

ergò Ecclesia non potest Clericis prohibere venatio-
57 nem omnibus à Jure naturali permissam. Confirmatur argumentum *ex c.* 1. *Geneseos*, ex quo habetur omnia animalia tàm terrestria, quàm volatilia in gratiam Hominum à Deo fuisse creata.

58 Respondeo: Venationem esse Juris naturalis non preceptivi, sed merè permissivi, adeòque posse ex justis causis in aliquo casu prohiberi; quamvis enim ex se sit res indiferens, potest tamèn mala evadere ex circumstantiis loci, temporis, vel personarum.

59 Ad confirmationem dico Deum creasse animalia in usum Hominum, dummodò tamen illis utantur in bonum, & honestum usum, correspondentem fini, ob quem creata fuerunt; non autèm si usus sit improbus, & deordinatus, prout esset venatio in Clericis.

60 Obiicies secundò: Piscatio, & venatio in jure æquiparantur §. *Feræ*, *&* §. *Flumina*. *Instit. de rer. divis. &c.* sed piscatio Clericis est permissa, *Can. Esàu dist.* 86. ergò etiàm debet permitti venatio.

61 Respondeo primò: Disparitatem stare in hoc, quod piscatio exerceatur sine strepitu, & armis, secus verò venatio Clericis prohibita.

62 Respondeo secundò: Disparitatem aliam afferri à Divo Hieronymo relato in objecto Canone Esaù per hæc verba = *Penitùs non invenimus in Scripturis Sanctis, Sanctum aliquem venatorem, Piscatores invenimus Sanctos*.

63 Cum de se dicat Christus = *Discite à me quià mitis sum, & humilis Corde*, ejus vestigiis exactiùs inhærentes Clerici maximam in suis operibus præseferre debent mansuetudinem, & pietatem, cui cum contraria sit sanguinis effusio, ideò occasione illius pro-
64 hibetur: Quartò Clericis arma deferre, & in acie

dimicare. Et primum quidem vetat *Text in cap. Clerici arma*, *hoc titulo*: alterum *text. in cap. petitio*, *de homicidio*.

65 Obiicies tamèn primò *text. in cap. præsentium*, *de Clerico percuss.* in quo dicitur non esse puniendum Clericum, qui in quodam conflictu projecit lapides adversùs hostes; ergò falsum est, quod dimicatio sempèr, & indistinctè Clericis sit prohibita.

66 Respondeo distinguendas esse duas Belli species; aliud enìm est Bellum aggressivum, quo aliquis ab alio impetitur; aliud defensivum, quo se quis ab im-
67 petente tuetur vim vi repellendo. Aggressivum semper Clerico est prohibitum, defensivum autèm non sempèr, imò in casu præcisæ necessitatis Clerico est permissum, cum sit præcepta à jure naturæ sui justa defensio, proùt evenerat in themata textus oppositi.
68 Necessitas autèm hæc dicitur adesse in ea tantùm hypothesi, qua prætèr Clericos alii non sint, qui pugnare velint, & probabilitèr defectura censeatur justa defensio, nisi arma Clerici capiant; in aliis verò casibus, nequè Bello defensivo Clericus interesse potest.

69 Et hac doctrina retenta facilè solves *Text. in Can. de his*, *distinctione* 50. ubi Clerici, qui intrà Civitatem obsessi sanguinem hostilem fuderant, puniuntur; signum evidens, quod nequè in Bello defensivo Clerici dimicare possint.

70 Siquidèm pœna in dicto Canone decernitur, non quià præcisè Clerici Bello defensivo adfuerint, sed quià, vel non servaverint moderamen inculpatæ tutelæ, & modum in se defendendo, vel absquè necessitate se Bello immiscuerint, quandò defensio sufficiens poterat haberi per Laicos, tunc enìm potiùs intenditur ultio, quam necessaria defensio.

Obii-

71 Obiicies secundò: Christus *Luc. cap. 22. vers.* 36. ait Apostolis = *qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium*, & de facto uno ex duobus gladiis, quos secum Apostoli detulerunt abscidit Petrus Auriculam Malcho; ergò falsum est, quod Armorum delatio sit Clericis interdicta.

72 Respondeo primò: significationem latentem sub dictis Christi verbis, ab Apostolis non fuisse perceptam; noluit enim illis dicere Christus, quod gladios verè sumerent; non enim illis ad sui defensionem indigebat, qui volens, illicò à Patre suo obtinere poterat plùs quàm duodecim Legiones Angelorum, quibus se tueretur, sed unicè voluit Apostolis patefacere gravissimam persecutionem, quæ jam jam in eum irruebat, ac si diceret. Adeò ingens, ò Apostoli, urget persecutio, ut juxtà prudentiam humanam censerent homines ad eam repellendam necessarios esse plures, ac plures gladios, quibus se armarent. Ità *Divus Joannes Chrisost. homil.* 85. *in Matth.*

73 Respondeo secundò: voluisse Christum illam gladiorum delationem, ut potentiam suam ostenderet restituendo aurem Malcho uno ex illis gladiis à Petro amputatam. Quare perbellè in persona Petri interrogat Christum *Divus Ambros.* = *Domine cur me jubes emere gladium, qui ferire prohibes? nisi fortè ut parata sit defensio, & videaris potuisse vindicare, sed noluisse.*

74 Respondeo tertiò: per illos duos gladios ab Apostolis delatos, intellexisse Christum utramque potestatem, gladii scilicèt spiritualis, & temporalis esse in Ecclesia.

75 Quintò. Ad servandam mansuetudinem nequeunt Clerici sententiam sanguinis dictare, scribere, aut conse-

consulere in Curia Principis sæcularis, ex qua sanguinis effusio, vel alicujus membri mutilatio sequatur;
76 Imò nequè Chrirurgum agere, quandò opus est carnem igne adurere, vel ferro secare: *ad Text. in cap. 4. 5. & penult. ne Clerici, vel Monachi &c. & latè Dian. part. 4. tract. 2. resol. 23. & part. 11. tract. 7. resol. 9.*

77 Sextò, sub interminatione Anathematis prohibetur Clericis, & Monachis lucri causa negotiari; *ad text. in cap. 1. & 6. ne Clerici, vel Monachi causa lucri negotientur.*

78 Ad cujus clariorem intelligentiam, sciendum est; negotiationem esse permutationem lucrativam, idest ad lucrum ordinatam, eamque in casu nostro tripli-
79 cem esse posse. Prima dicitur simplex, seu latissima, secundùm, quam emuntur necessaria, aut venduntur superflua, quam exercere Clericis est permissum, juxtà
80 *Text. in Can. Canonum* 14. *quæst.* 4. Altera dicitur merè lucrativa, qua res empta in eum finem, non mutata, nec in aliam formam redacta, cariùs venditur; hæcquè est propria negotiatio, & Clericis omninò
81 prohibita. Tertia dicitur media, qua res empta in eum finem, mutata, ac in meliorem formam redacta cariùs venditur; istaque non vocatur propriè negotiatio, sed artificium, seù opificium; idque an sit prohibitum Clericis videbimus infrà.

Ob plures autem rationes negotiatio propria, & mere lucrativa Clericis interdicitur.

82 Prima, & primaria ratio est adducta *ab Apostolo secunda ad Timoth. cap.* 2. & relata *in cap.* 1. *ne Clerici, vel Monachi &c. quià nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*. Ut autem liqueat quomodò Apostolus feriat Clericos negotiatores, advertendum est

est ipsum alloqui Timotheum jàm creatum Episco-
83 pum, & Discipulum suum sub nomine militis. Nemo autem ex illis, qui militiæ nomen dederant, ulli negotiationi vacare poterat, ut videre est *ex l. Tribuni, & l. nemo, C. de re milit. ex l. unica C. negotiatores ne*
84 *militent*; & aliis in locis Juris Civilis. Quare sic à fortiori arguit *D. Ambros. lib. 1. de offic. cap. 26.* = *Si is, qui Imperatori militat, à susceptionibus litium, actu negotiorum forentium, venditione mercium, prohibetur humanis legibus: quantò magis, qui fidei exercet militiam, ab omni usu negotiationis abstinere debet*.

85 Secunda ratio infertur ex distractionibus, quas necessariò à Divino cultu, cui specialitèr Clerici sunt addicti, pati debent, si terrenis, & sæcularibus negotiis plus æquò indulgeant. Unde versiculum illum psalmi 70. *Quoniam non cognovi litteraturam introibo in potentias Domini*; Vetus Psalterium, Hieronymus, Augustinus, & alii aptè ad rem nostram vertunt. *Quoniam non cognovi negotiationes introibo in potentias Domini*.

86 Tertia, ratio prohibendi est; quià negotiatio, ut plurimùm sine mendacio, & perjurio exerceri nequit *Can. eiiciens distinctione* 88.

87 Quarta, quià Clerici non sunt de corpore mundanæ Reipublicæ, sed Ecclesiasticæ *l. placet, C. de Episc. & Cleric. & Can. fornicatio distinctione* 88. adeòque dedecet illos vacare negotiis mundanæ Reipublicæ, cujus corpori non sunt addicti.

88 Rationes has accuratè perpendas; illis enim solves quæstionem, quæ hic à DD. excitari solet: an scilicet negotiatio censeatur prohibita Clericis tantùm in Sacris Ordinibus constitutis, vel saltem beneficiatis,

an potiùs etiàm minoribus solummodò initiatis, & quovis Ecclesiastico beneficio carentibus.

89 Ego siquidem adhæreo sententiæ Butrii apud *Fagnan. in cap.* 1. *ne Clerici, vel Monachi num.* 83. *& seqq.* quod nempè hæc prohibitio extendatur ad Clericos existentes in minoribus tantùm, & etiàm non beneficiatos.

90 Quod probo primò, ex rationibus superiùs allatis pro firmanda prohibitione hujusmodi, quas si singillatim, & attentè examines, evidens fiet locum habere, tàm in una, quam in alià specie Clericorum. Certum est autèm, quod ubi militat eadem ratio, militare debeat idem Jus.

91 Probo secundò, ex Rubrica *ne Clerici, vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant*, quæ est generalis quoad omnes Clericos, nec distinguit inter Beneficiatos, & existentes in sacris. Sic paritèr loquitur *Text. in Can. negotiatorem distinctione* 88. *In Can.* 1. *distinctione* 19. ibi: *decrevit S. Synodus nullum deincèps Clericum possessiones conducere, vel negotiis sæcularibus se miscere:* & *in Can.* 1. 14. *quæst.* 4. habetur *Noverint Clerici ab omni cujuslibet negotiationis ingenio, vel cupiditate cessandum, quod si cessare noluerint, in quocumque gradu sint positi; mox à Clericalibus Officiis abstinere cogantur*. Dictiones autem istæ *nullum*, & *quocumque*, cum sint universales, & effrenatæ, nullam admittunt restrictionem.

92 Probo tertiò, ex *Can. fornicari distinctione* 88. ubi dicitur: *Antequàm Ecclesiasticus quis sit licet ei negotiari; facto jam non licet*; Sed per solum Clericatum quis fit Ecclesiasticus etiàm antè adeptum beneficium, & Ordines sacros; ergò &c.

93 Probo quartò, ex pluribus declarationibus Summorum

rum Pontificum; primò scilicet Pii IV. in Bulla incipien. *Decens esse censentes* intèr suas 19. in qua dispo-nit bona quæcumque quæsita ex illicita negotiatione per quosvis Clericos tàm Sæculares, quàm Regulares, etiàm in Sacris Ordinibus constitutos, cujuscumque status, ordinis, & conditionis fuerint, tamquàm spolia ad Cameram Apostolicam pertinere; quę
94 verba *etiàm in sacris, cujuscumque Ordinis &c.* includunt, & implicant quoque Clericos in Minoribus constitutos; Ac reliqua verba universalia, & geminata *quoscumque Clericos, cujuscumque status &c.* nulli subiacent restrictioni.

95 Accessit secundò B. Pius V. qui in Bulla incipien. *Romani Pontificis* intèr suas 42. statuit, ut à quibusvis Presbyteris, & Clericis, quorum beneficia, vel pensiones non excedant valorem annuum 30. ducatorum auri de Camera, nullum spolium exigi possit, dummodò tamèn se ab illicita negotiatione abstinuerint
96 ergò Clericus habens pensionem etiàm infrà 30. ducatos, si illicitè negotietur subjacet spolio; & tamèn habens pensionem non dicitur habere Beneficium, cum in præfata Bulla Pontifex loquatur alternativè, ac discretivè de beneficio, vel de pensione; ergò falsum est, quod non Beneficiatus possit illicitè negotiari.

97 Tertiò Paulus V. in Constitutione incipien. *In eminenti* intèr suas 18. alias 14. indulsit, quod Curialibus, incolis, & Originariis Urbis, etiàm Clericis, & in sacris Ordinibus constitutis in ipsa Urbe, & intrà decimum milliare de eorum bonis ibidèm existentibus nullum fiat spolium, etiàm sub causa illicitæ negotiationis. Hoc autèm indulto fruuntur; ut docet praxis,
98 etiàm Clerici existentes in minoribus tantùm; ergò,

ſecluſo indulto, exiſtentibus in minoribus tantùm poſſet fieri ſpolium ex causa illicitæ negotiationis.

99 Et revera in praxi Commiſſarii, & Subcollectores ſpoliorum ex capite negotiationis illicitæ procedunt contra quoſvis Clericos, tàm beneficiatos, quàm non, & ſivè ſint conſtituti in minoribus Ordinibus, ſivè etiàm in ſacris. Texe *Fagnan. in cap.* 1. *ne Cleric. vel Monachi &c. in fine tomo tertio*.

100 Obiicies primò *Text. in cap.* 1. *ne Clerici, vel Monachi &c.* prohibet negotiari Miniſtris Altaris Domini, ſed ſub nomine Miniſtrorum Altaris non veniunt niſi conſtituti in ſacris Ordinibus; ergò &c. Probatur minor *ex Can. tribus, de conſecr. diſt.* 2. qui loquitur per hæc verba = *Tribus gradibus commiſſa ſunt Sacramenta Divinorum ſecretorum, ideſt Presbytero, Diacono, & Miniſtro*, hoc eſt Subdiacono, ut ibi *Gloſ. & DD.* interpretantur.

101 ReſpondeoClericos etiàm inferiores eſſe Miniſtros Altaris Domini, quamvis non ita proximos, & immediatos, prout ſunt conſtituti in Ordinibus ſacris, ut enim ait *Trid. ſeſſ.* 23. *de Sacram. Ord. Can.* 2. quilibet Ordo prout eſt Sacramentum ordinatur ad Sa-
102 cramentum Euchariſtiæ; nequè ad eſſentiam Ordinis Eccleſiaſtici, & Sacramentalis requiritur, quod habeat miniſterium cooperativum in ipſo actu conſecrationis Euchariſtiæ, ſed ſufficit, quod illud habeat, vel quoad ipſum Sacramentum., vel quoad ſuſcipientes, prout evenit in Ordinibus minoribus, *text. in Can. perlectis diſtinct.* 25. *& Præpoſ. in Can. Cleros num.* 4. *diſtinct.* 21. ac ibi *Eminentiſſimus Turrecr. num.* 16.

103 Obiicies ſecundò *Text. in cap.* 1. *de poſtulando*, ubì Clerici in minoribus prohibentur eſſe Advocati in

foro

foro sæculari, si stipendiis Ecclesiasticis sustententur, hoc est si habeant Beneficia: ergò à contrario, si Beneficiati non sint, non prohibentur.

104 Respondeo primò. Argumentum à contrario sensu non habere locum, quandò oppositum in Jure reperitur expressum, proùt vidimus in probationibus nostrę conclusionis.

105 Respondeo secundò, objectum Text. eò respexisse, ne Clerici absque causa pietatis, vel necessitatis se immisceant negotiis sæcularibus, adeòque id ipsis vetuisse in casu, quo sint beneficiati, nam tunc temporis, nequè ad minores Ordines poterat quis promoveri sinè titulo, ut liquet, *ex cap. non liceat de præben. ibique Glos.* 1. *& Abbas num.* 1. *&* 2. Idemquè dicendum esset, si talis Clericus aliundè haberet substentationem, etiam ex Bonis patrimonialibus, quia cum dictus textus unicè volverit providere, nè Clerici indigeant, potuit iste finis adimpleri per equipollens; *juxtà text. in cap. Episcopus il terzo de præbend.*

106 Respondeo tertiò, posse esse specialitatem rationis respectu Clericorum non beneficiatorum, qui velint Advocationis munus exercere, quia munus Advocationis est apprimè Reipublicæ utile; *Advocati enìm*, ut ait perelegans *Textus in l. Advocati C. de Advocatis diversorum judiciorum = non minùs provident humano generi, quàm si præliis, atquè vulneribus Patriam, parentesque servarent*; Quarè permissio concessa in textu objecto non debent extendi, ad negotiationes illas, in quibus non publica utilitas, sed solum privatum lucrum intenditur. Ex tribus his allatis responsionibus illam selige, quæ magis arriserit.

107 Sed jam desponsatam superiùs fidem liberando, devenio

venio ad quæstionem illam satìs à Doctoribus discussam: An scilicèt liceat Clericis, vel Monachis vendere cariùs rem mutatam in forma, puta Equum pullum ad varios usus edoctum; Uno verbo; an possint licitè opificium, seù artificium exercere.

Adversantes DD. sententias conciliabimus distinctè in hac materia procedentes, juxtà mentem Doctoris Angelici 2. 2. *quæst.* 187. *art.* 3.

108 Dico igitùr primò. Labor manualis potest ordinari ad victum quærendum, juxtà illud, quod primo Homini dixit Deus = *In sudore vultus tui vescèris pane tuo*, & *Psalm.* 127. = *labores manuum tuarum, quià*
109 *manducabis*; & hoc modo potest labor hujusmodi exerceri à Monachis, vel Clericis, juxtà illud, quod ait *Apost. Actor.* 20. = *Ad ea mihi opus erant, & his, qui mecum sunt ministraverunt manus istæ*. Consonat *Text. in Canon. Clerici il primo distinctio.* 91. ibi = *Clericus victum, & vestimentum sibi artificiolo, vel agricultura absque officii sui detrimento paret*, & Can. sequenti dicitur *Clericus quantumlibèt verbo Dei eruditus artificiolo victum quærat*.

110 Dico secundò. Labor manualis potest etiàm ordinari ad tollendum otium, ex quo multa mala oriuntur, juxtà illud *Eccles.* 33. = *Mitte servum tuum in operationem ne vacet, multam enìm malitiam docuit otiositas*. Et ad hunc finem laudabile, ac permissùm
111 est Clericis opificium exercere. Audi Hieronymum relatum *in dicto Can. nunquam, de consecr. distinct.* 5. & scribentem ad Rusticum Monachum de vivendi forma = *Facito inquit aliquid operis, ut sempèr te Diabolus inveniat occupatum*, & posteà subdit, *Cur tu in usus tuos cessura non præparas? Vel fiscellam texe junco, vel Canistrum lentis plecte viminibus, sarriatur*

humus

humus, areolæ æquo limite dividantur, in quibus, cum oleum jacta fuerint semina, vel plantæ per ordinem positæ, aquæ ducantur irriguæ: & infrà: *Inserantur infructuosæ Arbores gemmis, vel surculis, ut parvo post tempore laboris tui, dulcia poma decerpas. Apum fabricare Alvearia, ad quas te mittunt Salomonis proverbia, & Monasteriorum ordinem, ac regiam disciplinam in parvis disce corporibus; texantur, & lina capiendi piscibus, scribantur libri, ut & manus operetur cibum, & Animus lectione saturetur.*

112 Dico tertiò. Labor manualis potest ordinari ad refrænationem concupiscentiæ, quatenùs per illum corpus maceratur; Undè habetur *secunda ad Corinth. c. 6. In laboribus, in jejuniis, in vigiliis, in castitate,*
113 & hoc etiàm modo Clericis, & Monachis illi operam navare permittitur, testaturque Hieronym. in laudato *Can. nunquam*, quod in Monasteriis Ægypti nullus suscipiebantur absquè operis, & laboris alicujus exercitio, non tàm ob victum comparandum, quàm ob Animarum salutem, ne distractæ perniciosis cogitationibus divagarentur.

114 Dico quartò. Labor manualis potest ordinari ad eleemosynas faciendas; quarè dicitur *ad Ephes.* 4. = *Qui furabatur jàm non furetur; magìs autèm laboret operando manibus suis, quod bonum est, ut habeat undè*
115 *tribuat necessitatem patienti*. Et ad hunc finem manibus operari non solùm est licitum Clericis, ac Religiosis, quinimò aliquandò est præceptum tàm ipsis, quàm laicis, si nempè eleemosynas facere tenerentur, nèc aliundè possent habere unde pauperibus subvenirent. Ità *D. Thom.* 2. 2. *dicta quæst.* 187. *art.* 3. *propè fin.*

116 Dico ultimò. Clerici, vel Monachi, non possunt opifi-

opificio incumbere, si habeant pro ultimo fine lucrum tantùm. Patet *ex cap.* 1. *ne Clerici, vel Monachi &c.* in quo ipsis prohibetur (sunt verba Text.) *negotium injustum exercere, nec tamèn justum negotium est contradicendum proptèr necessitates diversas* = & in *Can. Clericus victum distinct.* 91. permittitur Clerico victum sibi quærere ope alicujus artificioli, sinè tamèn officii sui detrimento. Videtur igitur id solùm permitti in casu, quo dirigatur ad necessitatem, vel aliquem alium honestum, & laudabilem finem ex suprà relatis; non verò si pro fine habeatur cupiditas lucri, quæ terminum nescit, in infinitum tendit. Ità *D.Tho.* 2. 2. *quæst.* 77. *artic.*4. *& præcipuè ad tertium Fagnan. loco cit. de Grass. de effect. Cleric. effect.* 6. *n.* 39. *Squillant. de obligat. Cleric. pur.* 2. *num.* 42. *Redoan. de Spol. quæst.* 2. *num.* 39. *&* 41.

117 Accedit declaratio Sac. Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, quæ teste *Fagnan. in cap.* 1. *ne Clerici, vel Monachi tom.* 3. *nu.*42. declaravit Clericos posse cum foliis suarum Arborum in propriis Ædibus arti sericæ operam dare per se ipsos, dummodò id fiat absquè officii detrimento, & pro sua, ac familiæ substentatione.

118 Advertendum tamèn, quod ex Bulla Clementis VIII. incipien. *Inter multiplices* §. 5. intèr suas 72. possunt Clerici in Territorio, & districtu Urbis, nec non in Provinciis Latii, Campaniæ, & Maritimæ, in Casalibus propriis, & non conductis exercere per se, vel per alios artem Agriculturæ, quìn contrà eos, vel eorum hæredes possit ex hoc capite Camera Apostolica procedere sub prætextu illicitæ negociationis.

119 Nemo igitùr militans Deo se implicare debet negociis sæcularibus; quarè cum Tabellionatus officium sit sæcu-

fæculare,imò fit quædam fpecies negociationis,illud Clericis exercere vetitum fuit *in cap. ficut te, ne Clerici, vel Monachi &c.*

120 Quæres autem primò,quibufnam Clericis interdictum fit hujus Officii exercitium.

121 Refpondeo primò.Certum omninò eft,prohibitum effe Clericis in facris Ordinibus conftitutis,& competens beneficium Ecclefiafticum habentibus;ait enim *text. in dicto cap. ficut te = Fraternitati tuæ mandamus, quatenùs Clericis in facris Ordinibus conftitutis Tabellionatus officium, per beneficiorum fubtractionem, appellatione poftpofita, interdicas.*

122 Refpondeo fecundò.Si Clerici in facris conftituti Beneficio careant,fed habeant ex bonis patrimonialibus undè congruè fubftentari poffint,paritèr hoc officium nequeunt exercere.Ratio eft quià in hoc cafu negocia fæcularia funt ipfis prohibita.Ità contrà Joan. Andr. fenfit *Abb.in cap. ficut num. 2. ne Clerici, vel Monachi*, ibique *Fagnan. num. 27. & feqq. Piring. lib. 3. in Jus Canon. tit. ne Clerici, vel Monachi &c. §. 5. num. 25.*

123 Nec obftat textus nofter, qui ait: Clericos hoc officium exercentes puniendos effe per fubtractionem Beneficiorum; ergò à contrario fi non funt Beneficiati non funt puniendi.

124 Refpondeo enìm,quod eftò prædictis Clericis non poffit interdici hoc officium per fubtractionem beneficiorum,poteft tamen interdici per alias pœnas,quæ à Jure infliguntur adversùs Clericos negotiatores.

125 Refpondeo fecundò. Etiam Clerici in minoribus conftituti,fi habeant,vel ex patrimonio,vel ex Beneficio undè vivere poffint,nequeunt hoc officium exercere, quià in præfatâ hypothefi, etiàm ipfis negociatio

tio quævis lucrativa censetur interdicta *Butr. in cap. sicut, ne Clerici, vel Monachi &c. num. 5. cum Abb. in dictum cap. num. 7. Fagnan. ibidem num. 27. & pluribus seqq.*

126 Nec obstat, quod dictum capitulum *sicut*, loquatur tantùm de Clericis in sacris constitutis.

127 Ideò enim de illis tantùm loquitur, quià illi tantùm in Civitate Esculanensi, sivè Asculo, ad cujus Episcopum directa fuit Epistola decretalis, præfatum munus exercebant; Clerici autèm in minoribus constituti relicti fuerunt sub dispositione antiquorum Canonũ, secundùm quos nemini ex illis non indigenti licet negotiari, ut alibì vidimus. Cœterum argumentum à contrario sensu nil probat, quandò contrarium habetur in Jure expresse dispositum, ut notat *Jo. Andr. in cap. publicato num. 18. de electione.*

128 Quæres secundò. An valeant Instrumenta à Clericis Tabellionibus confecta.

129 Respondeo cum distinctione, ad mentem *Abbat. in cap. sicut ne Clerici, vel Monachi &c. num. 11. & Anchar. num. 6. & 7. Covar. pract. quæst. cap. 19. num. 8. vers. quod si Sacerdos, de Grass. de effect. Cleric. effect. 8. num. 4. & Mastrill. decis. 159. num. 9.* Vel publicè, & per edicta solemnitèr publicata interdictum est Clericis, ne possint ampliùs Instrumẽta conficere, itaut hęc prohibitio omnibus innotuerit; & Instrumenta imposterum celebrata non valebunt; sicuti non valent contractus initi cum prodigo post Judicis interdictum juxtà *Text. in l. Is cui bonis ff. de verb. oblig.* Vel talis prohibitio non fuit publicè facta; & Instrumenta posteà confecta non valebunt quidèm in præjudiciũ Clerici Tabellionis, qui utiquè puniri poterit per subtractionem beneficiorum, vel alias pœnas in Jure contentas,

tentas, cœterùm valebunt quoad partes ignorantes, quarum respectu sustinebuntur gesta, ratione publici Officii.

130 Adverte tamèn, quod possint Clerici officium Notariatus exercere in causis Fidei *per Text. in cap. ut officium §. Ad conscribendas, de hæret. in Sexto*, quod
131 cum unicè reperiatur illis concessum in Jure per modum indulti, & privilegii firmat regulam in contrarium, quod scilicèt in nullis aliis causis, nequè Ecclesiasticis, & spiritualibus possint esse Tabelliones. *Ità Cardinalis ad dictum cap. sicut te in prima quæstione. Speculat in tit. de Instrum. edit. §. Restat num.* 28. sequentes *Glos. unic. in cap. sicut*.

TITULUS III.

De Clericis coniugatis.

1 EN prima Clericorum divisio, in coniugatos scilicèt, & non coniugatos. Incumbendo igitur proximiùs materiæ.

2 Certum omninò est, & Catholicæ Fidei dogma infallibile: non posse ullum Clericum post susceptos sacros Ordines Uxorem ducere, *per Text. in cap.* 1. *hoc tit.* & definitum fuit *à Tridentino sess.* 24. *Can.* 9. *de matrim.*

Ut autèm ab ovo rem exordiamur, & inspiciamus originem cœlibatus, qui Clericis ab Ecclesia servandus proponitur, inquirendum primò à nobis est cum
3 reliquis DD. An cœlibatus ordini sacro sit annexus

 de

de Jure Divino, vel potiùs de Jure tantùm Ecclesiastico, itaut, seclusa Ecclesiæ constitutione, nullatenùs Clerici in Sacris positi tenerentur ad continentiam vovendam, & servandam. Et illius obligationem à solo Jure Ecclesiastico promanasse pro certo
4 nem à solo Jure Ecclesiastico promanasse pro certo habeo, ut cum *D. Thô. 2. 2. quæst. 88. art. 11. in corpore propè fin.* Theologi communitèr sentiunt, & *cum Innoc. in cap. placet num. unic. de convers. conjugat.* ibique *Joann. Andr. num. 4. & Abb. num. 7.* unanimitèr asserunt Canonistæ.

5 Probatur primò. Non est de Jure Divino, quod Coniugati si ordinentur abstineant ab Uxoribus suis; ergò neque est de Jure Divino, quod illas non ducant. Patet antecedens ex communi usu Grecorum, & Ecclesiæ orientalis, quorum Sacerdotibus permissum est retinere Uxores antè Ordinationem susceptas *per text. in cap. cum olim tit. nostro*. Consequentia autèm est certa, nàm si potèst Presbyter uti Matrimonio antè contracto, evidens fit matrimonium ex sui assentia
6 non pugnare cum Ordine sacro; Cum Matrimonium, vel consideretur ùt Sacramentum, vel ùt contractus, qui solo animorum consensu perficitur, juxta *Text. in l. nuptias ff. de reg. Jur.* sit vel res sacra, vel honestissima, & solùm dici possit inconveniens Ordini sacro ratione ipsius exercitii, & actus conjugalis reddentis Hominem carnalem, & ineptum ad Divina, nec non proptèr sollicitudinem Domus, & Liberorum, quæ plurimas parit distractiones. Ità solidissimè de more ratiocinatur *Eminentissimus Bellarminus tom. 2. contr. lib. 1. de Clericis cap. 18. litt. B.*

7 Probatur secundò ex Concilio Ancyrani *Can. 10.* in quo permittitur Diaconis ducere Uxores cum licentia Episcopi, etiàm post susceptum Diaconatum; ergò

ergò cœlibatus non est de Jure Divino; isti enim non potest Episcopus dispensare. Et dictum Concilium est vetustissimum, & confirmatum à Leone Papa *in Can. de libellis dist.* 20.

8 Probatur ultimò apertissimè ex verbis *Trid. sess.* 24. *Can.* 9. *de Sacram. matrim.* sic ajentis. *Si quis dixerit Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemnitèr professos, posse matrimonium contrahere; contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto: anathema sit*, ubi patet legem Ecclesiasticam referri ad Sacros Ordines. Votum autèm ad professionem religiosam, quod ex se habet vim dirimendi Matrimonium posteà contractum.

Hujus autèm Ecclesiastici Juris plura adsunt antiquissima testimonia Scripturarum, Conciliorum, & 9 Patrum. Primò enim Paulus 1. *ad Timoth. cap.* 1. ait = *Oportet esse Episcopum hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem*, Deinde 2. *ad eumdem cap.* 2. ait = *Labora sicùt bonus miles Christi Jesu; nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus*, = sub quorum negotiorum nomine nuptias etiàm compræhendi nemo ibit inficias, præsertìm, qui perlegerit D. Basilium in proœmio Constitutionum Monasticarum docentem, quod, *nuptiæ pedicæ sint*.

10 Infinita postmodùm deindè Concilia id idem sanxerunt ùt *Ancyran. Can.* 10. *Nicænum* 1. *Can.* 3. *Carthaginense secundum Can.* 2., & *Quintum Can.* 3. *Romanum sub Silvestro* 1. *Can.* 8. aliaque lato calamo relata à *Bellarm. loc. cit. cap.* 19.

11 Deniquè hoc ipsum Apostoli exemplo suo docuerunt, ex quibus teste *Tertull. lib. de monogamia*, & *D. Hieron. lib.* 1. *in Jovinianum* neminem alium sci-

mus Uxorem habuisse, prætèr Petrum, cujus socrum legimus in Evangelio. Sed quidquid sit de hoc, certum est eos ex Apostolis, qui fortasse Uxorem habuerunt, officio conjugali renunciasse, postquàm à Christo vocati fuerint ad Apostolatum, ut testatur Hieronymus loco supradicto, satisque apparet ex verbis Petri, Domino dicentis *cap.* 19. *Matth.* = *Eccè nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, statìmque Christus explicans quid sit relinquere omnia, subjungit = *Omnis, qui relinquerit Patrem, aut Matrem, aut Uxorem &c.*

13 Nèc obstat, quod ait de se Paulus *prima ad Corinth. cap.* 9. = *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicùt, & cæteri Apostoli?* quàm plures ex Hæreticis vertunt *Uxorem sororem*, ac si Paulus Uxorem habuisset etiàm post Apostolatum.

14 Respondeo enìm primò ex laudatis verbis non inferri, quod Apostoli cum Uxoribus suis conjugale munus explerent, imò potiùs oppositum evincitur, quod nempè Apostoli haberent Uxores suas loco sororum, non loco Uxorum, quod nobis sufficit.

15 Respondeo secundò cum DD. Ambrosio, Chrisostomo, Anselmo, & aliis: nomine illarum mulierum non comprahendi Uxores, quæ ineptè dicerentur sorores; sed tantùm venire Matronas honestas, & pias, quæ Apostolis peregrinantibus, se aliquandò comites adjungebant, illisque suis sumptibus alimenta subministrabant; circumducebantur autèm ab Apostolis, eosque sequebantur, non ut Uxores viros, sed ut discipulæ Præceptores.

16 Et ità facili negotio refellitur alia objectio, quæ instauratur adversùs Paulum ex illis verbis, quibus scribit ad Philippenses *cap.* 4. = *Etiàm rogo, & te germane*

mane compar adjuva illas, quod ex græco Zuinglius, & Eraſmus vertunt *germana Conjux*, ac ſi Paulus eo nomine Uxorum compellet.

17 Reſpondeo enim Paulum loqui de viro aliquo, quem vocat germanum comparem, ſeù coniugem, aut coniugalem; verbum enim græcum *Sizighon*, quò ibi utitur Paulus ſignificat eum, qui idem jugum trahit: Eum autèm vocat coniugalem, ſeu coniu-
18 gem, vel quià erat Maritus alicujus ex fœminis ſuprà ab Apoſtolo nominatis, ideſt Evodiæ, vel Synthiches, quæ ſimùl cum Apoſtolo laboraverunt in Evangelio, ſicùt ipſemet eas celebrans ait, & ità ſentiunt Chri-
19 ſoſtom. & Theophil., vel eo quia dictus Vir, de quo loquitur, fuiſſet Philippus ſocius Pauli in prædica-
20 tione, ut aſſerit Theodoretus, vel quià id eſſet nomen proprium dicti Viri, ut vult Ecumenius, & de-
21 facto idem Paulus *ad Corinthios prima cap.* 7. ſe ipſum intèr eos recenſet, qui Uxoribus carebant; ait enim = *Dico autèm non nuptis, & viduis: bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego. Quod ſi non ſe continent, nubant; melius eſt enim nubere, quàm uri*. Certum eſt autèm, ut oſtendit Theodoretus in præfatione Commentarii ad Epiſtolas Pauli, dictam Epiſtolam ad Corinthios fuiſſe ſcriptam à Paulo antè Epiſtolam ad Philippenſes: Egò, vel Paulus duxit Uxorem poſtquam ſupradicto modo ſcripſerat ad Corinthios, quod non eſt credibile, vel non habuit Uxorem cum ſcriberet ad Philippenſes.

Sed contrà principalem aſſertionem à nobis hactenùs firmatam; quod nempè obligatio cœlibatus Ordini ſacro annexi proveniat à Jure Eccleſiaſtico
22 tantùm; Dices plures ex Sacerdotibus Ethnicis pudicitiam, ac cœlibatum ſervaſſe, ut latiſſimè videre eſt

apud

apud *Tiraquell. de leg. connub. in leg.* 15. *nu.* 119. *& pluribus sequen.* Signum evidens obligationem hanc consurgere ex ipso Jure naturali Divino.

23 Respondeo hoc probare unicè, quod solo ductu luminis naturalis innotuerit, statui Sacerdotali convenire cœlibatum, ut rem ipsi decentissimam, non autèm esse rem omninò necessariam, & ut talem à Jure naturali imperatam.

24 Dices secundò de Levitis veteris legis haberi *in Deuter. cap.* 33. quod filios ignoraverint; certum est autèm id verificari non posse in Sacerdotibus veteris Testamenti, sed tantùm esse vaticinium de Sacerdotibus Testamenti novi:

25 Respondeo id fuisse quidem divinum vaticinium, sed non divinum præceptum, illudque vaticinium sufficientèr adimpletum fuisse; sivè lege divina, sivè humana Ecclesiastica factum fuerit, ut Sacerdotes novi Testamenti Uxoribus careant.

26 Constans igitùr stat sententia, Jure Ecclesiastico Clericis in sacris Ordinibus constitutis vetitum esse Matrimonii usum. Quem Sanctissimum morem sub primis Ecclesiæ crepundiis adeò exactè Clerici hujusmodi custodierunt, ut non tantùm post Ordines sacros susceptos Uxores non ducerent, sed etiàm à consortio earum, quas anteà duxerant, religiosissimè abstinerent, ut liquet ex *D. Chrysost. homil. de patientia Job. Hieron.*
27 *contr. Vigilant. in princ. & Conc. Nicæn. Can.* 3. Sed cum Græci à Latinis sempèr facilè discesserint, circà Annum Domini 700. Conciliabulum quoddam illegitimum Constantinopoli celebrarunt sub Justiniano Juniore, quod dictum fuit *Trullanum*, ùtpote celebratum in Palatio Imperatorio, seu loco concamerato, qui *Trullus* dicebatur, in quo *Can.* 13. sanxerunt:

xerunt: Licitum esse Clericis in sacris Ordinibus constitutis habere consortium cum Uxoribus, quàs anteà duxissent, id tantum *in Can.* 12 Episcopis interdicentes,
28 tes, utpotè in sublimiori gradu collocatis; Quem errorem Ecclesia Latina, quamvìs nunquàm secuta fuerint, per *glos. in cap. cum olim hoc tit.* in verbo *votum continentiæ in fin.* adhùc toleravit, ne majori rimâ dividere Ecclesiam Orientalem ab Occidentali, ut videret est *in dicto cap. olim*.

CAPITULUM I.

An Clerici coniugati possint Beneficia retinere, vel de novo acquirere.

29 QUamvis ad sacros Ordines promotus nequeat valido coniugio copulari, potest tamèn, si prima tonsura tantùm, vel etiàm minoribus Ordinibus sit initiatus, validum Matrimonium contrahere, ut vetusta jam, ac quotidiana praxis Ecclesiæ docet.

30 Disponit tamèn *Alex.* 3. *in c.* 1. *hoc tit.* quod hujusmodi Clerici Matrimonium contrahentes Beneficia
31 omnia, quæ prius habebant amittant. Quarè juxtà *Jo: Andr. Abbat. Anchar.* & alios communitèr scribentes in dictum *cap. primùm* per sola sponsalia de futuro Clericus non amittit Beneficia, quià sponsalia non important statum plenè incompatibilem cum Beneficiis, sed tantùm sunt via ad illum comparandum.

32 Quarè si Clericus contraxerit Matrimonium ratum cum fœmina impubere, Beneficia non amittit, quià tale Matrimonium resolvitur in sponsalia de futuro, per *Text. in cap. unic.* §. *Idem quoque de desponsat impub. in sexto*. Roga-

33 Rogabis autèm primò, an si hujusmodi Clericus validum Matrimonium contraxerit, amittat ipso jure Beneficia, vel potiùs requiratur sententia Judicis privans. Hujus quæsiti maximus est effectus, nam si Clericus coniugatus non amittit Beneficia, nisi post sententiam Judicis, potest iis renunciare ad favorem alterius, quià, donèc privetur, est suum illud Beneficium; quod tamèn secùs dicendum erit; si ipso jure Beneficium amittet. Ità hanc diferentiam expendit *Paris. de resignat benef. lib. 3. quæst. 16. per tot.*

34 Respondeo igitùr per Matrimonium validum à Clerico initum vacare ipso Jure illius Clerici Beneficia. *Ità gloss. in c. 1. de Cleric. coniug. in verb. relinquenda, & ibi Joan. Andr. num. 6. Abb. num. 4. & 5. Anchar. num. 2. notab. 2. Imol. numer. 4. Pignattell. consult. 2. num. 11. tom. 2. Gig. de pension. quæst. 54. num. 5. & 6. Paris. lib. cit. quæst. 2. num. 28. & lib. 4. quæst. 2. num. 101. Cævall. in quæst. pract. quæst. 147. num. 1. Pax Jordan. elucubrat. lib. 10. tit. 23. num. 9. & seqq. Rota coràm Merlin. dec. 220. & dec. 516. utrobique num. 2. post. cons. Farinacc. dec. 822. & in Leodien. Beneficii 3. Julii 1684. §. Justificatio, coràm bon. mem. Benicasa.*

35 Prima, ac potissima ratio desumitur ex persona ipsius Clerici, quià scilicèt hæc privatio non est statuta à Jure in pœnam alicujus delicti (cur enìm delinquet Clericus minoribus tantùm initiatus, si Uxorem ducat) Sed unicè consurgit hæc privatio ex statu incompatibili cum Beneficio, quem elegit sponte sua Clericus Matrimonium contrahendo; quarè per electionem hujus status incompatibilis liberè ac ultroneè factam censetur tacitè Clericus Beneficiis renunciasse, eaque tamquàm derelicta habuisse, contrario

trario

trario enim facto juri proprio ceditur, argumento *Text.*
36 *in l.* 1. *C. de furt.* Secunda ratio emergit ex præsumpta voluntate Superioris Beneficium concedentis. Hac enim tacita conditione censetur datum Beneficium Clerico, ne eo retento assumeret statum cum ipso incompatibilem, quarè tali statu assumpto amittitur illicò Beneficium, tanquàm deficiente conditione, sub qua concessum fuerat.

37 Obiicies tamèn *primò Text. in c.* 1. *&* 3. *hoc tit.* in quibus dicitur Clericos coniugatos compellendos esse ad relinquenda Beneficia, & iis esse privandos; ergò si sunt privandi, non sunt privati ipso Jure.

38 Respondeo à dictis Textibus confirmari, non destrui veritatem nostræ assertionis; non enìm illi dicunt Clericos coniugatos privandos esse Beneficiis, & compellendos ad ea relinquenda, quatenùs jàm ea ipso Jure non vacaverint, sed ob hoc ipsum, quod ipso Jure jàm vacaverant, jubetur hujusmodi Clericos privandos esse possessione dictorum Beneficiorum, & ad eam dimittendam deberi compelli.

39 Obiicies secundò *Can. si qui vero distinctione* 32. *&* *Can. quià tua* 12. *quæst.* 1. in quibus repetitur, quod si Clerici sacro Ordine initiati continere nequeant, uxores ducere debeant, & stipendia sua accipere: ergo &c.

40 Respondeo primò, dictos Textus fuisse correctos *à cap.* 1. *&* 3. *de Clericis coniug.* ut docet *glos. in dicto cap.* 1. *in verb. relinquenda*.

41 Respondeo secundò, cum Innoc. & Hostien. *ad dictum cap.* 1. ex misericordia in objectis Canonibus dispensatum fuisse cum Clericis incontinentibus, quod, Uxoribus ductis, adhùc fructus Beneficiorum percipere possent, ut ità mitiùs cum eis agendo faciliùs ipsi ab impudicitiæ luto resipiscerent.

H Respon-

42 Respondeo tertiò, & veriùs cum *Abbat. ad d. cap.* 1. ibì esse sermonem de stipendio, quod hujusmodi Clerici accipiebant ab Ecclesia ratione paupertatis, vel ratione laboris, quem canendo v. g. vel organo pulsando prestabant; non autèm sermonem esse de stipendio, quod haberent in titulum, quale esset Beneficium Ecclesiasticum.

43 Eodemque modo solvas *Textum in cap. Joannes, hoc tit.* ubi dicitur Clericum quemdam Uxoratum non fore cogendum ad deferendam tonsuram, nisi in casu, quo habeat Beneficium Ecclesiasticum.

44 Respondendum enìm est *cum glos. fin. ibidem*, quod vel ibì habetur sermo de Beneficio impropriè dicto, seu de stipendio nō in titulum, sed in substentationem assignato *juxtà dictum Can. si qui verò distinctione* 32. vel loquitur Textus de Beneficio propriè sumpto; sed cum dispensatione Apostolica retento.

45 Ultimò Obiicies. Inhabilitas medio tempore superveniens non nocet, quandò habilitas in initio adfuit, per *Text. in l. sed si in conditione §. solemus ff. de hæred. instit.* Ità obtinens Beneficium tempore, quo erat habilis, illud non amittit per hoc, quod superveniente irregularitate reddatur inhabilis; ergo &c.

46 Respondeo dictam regulam esse veram, quandò quis excluditur à Beneficio propter inhabilitatem personæ, secùs autèm quandò amittit illud ob tacitam renunciationem, proùt est in casu nostro; Eccè disparitas.

47 Jam verò amplia nostram conclusionem procedere primò, quamvis Matrimonium fuerit tantùm ratum, etsi non fuerit consumatum, quià præcisè per Matrimonium ratum Clericus verè assumpsit statum incompatibilem cum Beneficiis. Ità *Joan. Andr. in d. cap.* 1. *num.* 1. *Hostiens. num.* 2. & *Abb. num.* 5.

Amplia

48 Amplia secundò, ut etiàm si Uxor moriatur à Viro Clerico non cognita, vel transeat ad Religionem, adhùc ejus Vir Beneficium amissum non recuperet, quià jus semèl extinctum non reviviscit ampliùs, licèt causa extinguens cessarit, quod patet *ex Clem. Gratiæ de rescript.* ubi dicitur, quod censearis renunciasse gratiæ, ut tibi provideatur de Beneficio curato, si antè gratiæ assecutionem pacificè adeptus fueris aliud Beneficium incompatibile, quamvìs hoc Beneficium resignaveris, vel sis resignare paratus. Vide *Joan. And. in dicto cap.* 1. *num.* 2. *Abb. num.* 6. *& Imol. nmm.* 4.

49 Amplia tertiò, ut per Matrimonium validè initum amittat Clericus accessus, regressus, vel alia quælibet jura, quæ habebat ad Beneficium Ecclesiasticum; puta si impetraveras rescriptum ad præbendam *A.* vacaturam, & antequàm vacaret, Uxorem duxeris, ac Uxore defuncta dicta præbenda vacaverit; non potes ampliùs eam petere; Rationem reddit *Anchar. in d. Clementina gratiæ de rescript. num.* 6. quià si per electionem status incompatibilis vacat ipso Jure Beneficium, quod fortasse habebas; à fortiori vacabit Jus ad tale Beneficium, cum multò fortiùs sit Jus in re, quàm ad rem, & faciliùs hoc amittatur.

50 Rogabis secundò. An si Clericus contrahat Matrimonium irritum ex aliquo impedimento illud dirimente, amittat ipso facto Beneficium Ecclesiasticum.

51 Respondeo negativè, sed requiretur Sententia Judicis declarans ipsum Beneficia amisisse. Ità *Cardin. in dicta Clementina gratiæ num.* 10. *quæst.* 17. *& Dec. cons.* 166. *in fine vol. primò*.

51 Probatur primò, quià, vel amissio Beneficiorum incurritur in pœnam delicti, & procul dubio requiritur Sententia, vel incurritur ob renunciationem illo-

rum tacitam factam à Clerico, & hæc renunciatio tacita non poteſt plus operari, quàm expreſſa; Sed expreſſa non inducit vacationem Beneficii, niſi fiat in manibus Epiſcopi, vel Superioris per *Text. in cap. admonent*, *& cap. quod in dubiis de renunciat*; ergò nequè tacita; Vel demùm incurritur in vim renunciationis tacitæ cum aſſumptione ſtatus incompatibilis, & hoc eſt falſum, quià talis Clericus cum non contrahat Matrimonium validum non contrahit ſtatum verè, & realitèr incompatibilem cum Beneficiis.

53 Probatur ſecundò ex axiomatibus illis generalibus Juris: *quod nullum eſt, nullum poteſt de Jure producere effectum, & non præſtat impedimentum, quod de Jure non ſortitur effectum*, juxtà *reg. 52. de reg. Jur. in Sexto*.

54 Sed dices primò contrà ex paritate rationis. *In cap. nuper, de bigam. non ordinan.*, habetur quod tranſiens ad ſecundum Matrimonium poſt Ordines ſacros jam ſuſceptos, ut bigamus puniri debeat; quamvis talis verè non ſit, quià quantum fuit in ſe ſecundam duxit Uxorem. *In cap. eum qui, de præbend. in Sexto* dicitur, quod ſi habens Beneficium curatum in aliud curatum ſe violenter intrudat, primum ipſo jure amittat, quamvis ſit irrita adeptio ſecundi, & rationem reddit *Text. non enim decet, ut ſtultus melioris, quam peritus conditionis exiſtat, vel quod invaſor eo, qui juſtè ingreditur privilegio gaudeat potiori*. Tertiò *in cap. quanto de translat. Epiſc.* decernitur, quod ſi Epiſcopus ad alium Epiſcopatum propria authoritate ſe transferat, etiàm priore legitimè habito carere debeat; ergò à pari quamvis Clericus Matrimonium irritum contraxèrit, adhuc tamèn Beneficia quæ priùs habebat ipſo Jure amittet. Reſpon-

55 Respondeo nullum haberi Textum disponentem in hac materia expresse,quod per Matrimonium irritum ipso Jure Beneficia amittantur,quarè non obstat,quod in aliis casibus id habeatur Statutum,quià in pœnalibus non est facienda extensio de casu ad casum diversum ob paritatem rationis,cum odia ampliari non debeant, sed restringi; maximè quandò habemus in contrarium omnia Jura pro nobis clamantia, *quod nullum est, nullum de Jure potest producere effectum*.

56 Aliàs enim,si ex paritate rationis facienda esset extensio casuum, posset dici, quod injustus occisor feræ, quam putabat esse hominem sibi inimicum sit irregularis, quià justus occisor veri hominis est irregularis, proùt enim habetur in objecto *c. eum qui de præbendis in sexto* non debet esse pejoris conditionis justus occisor, quàm injustus, qui quantum fuit ex parte voluntatis suæ hominem interfecit. Nonnè claudicat hæc illatio?Ità profectò claudicabunt cœteræ omnes, quæ in materia pœnali innitantur paritati rationis.

57 Dices secundò. Clericus ducendo Uxorem quamvìs invalidè, quantum fuit ex se eligit statum incompatibilem cum Beneficiis; ergò illis videtur renunciasse.

58 Respondeo. Patet ex dd. superiùs in probatione nostræ conclusionis non sufficere, quod aliquis velit assumere statum incompatibilem, nisi talis voluntas sortiatur effectum, quià voluntas, seu conatus inefficax non reputatur pro facto, quandò agitùr de pœnis incurrendis, nisi id in Jure expressum habeatur.

59 Rogabis tertiò, an Clericus coniugatus amittat ipso Jure etiàm Pensiones, quas anteà habebat.

60 Respondeo cum distinctione. Si talis Pensio erat collata Clerico pro ministerio merè temporali, puta, quià

quià esset Advocatus Ecclesiæ, pulsaret Campanas, vel Organo, non vacat per Matrimonium Clerici, quià ea Pensio datur Clerico tamquàm Laico, & pro ministerio merè temporali. Ità *Gigas de pension. quæst.* 54. *num.* 5. *&* 6.

61 Si autèm talis Pensio collata fuit titulo Clericali, puta loco Beneficii, quod talis Clericus résignavit, eodem modo vacat per Matrimonium, quo diximus suprà vacare Beneficia. Ità *Gigas loc. cit. num.* 4. *& seqq. & Paris. de resignat. benef. lib.* 1. *quæst.* 1. *num.* 15. *& lib.* 6. *quæst.* 2. *num.* 115. *Cavall. in quæst. pract. quæst.* 147. *num.* 3. *Rota coram Puteo decis.* 469. *lib.* 4. Ratio est, quià cum tales Pensiones dentur titulo Clericali, per assumptionem status incompatibilis cum Beneficio, censetur illis quoquè renunciatum, sicut &
62 Beneficiis. Prætereà quià tales Pensiones subrogantur loco Beneficiorum; certum est autèm subrogatum sapere naturam ejus in cujus locum subrogatur *l. si cum §. Qui injuriarum ff. si quis cautionibus &c.* Et ità servatur de stylo Curiæ, qui facit jus, per *text. in cap. quam gravi de crimine falsi.*

63 Diximus hactenùs Clericum coniugatum Beneficia priùs obtenta retinere non posse, dicimus nunc incapacem quoque esse alia obtinendi, juxtà *text. in cap.* 2.
64 *tit. nostro.* Et ratio est quià Clericus coniugatus reputatur tanquàm laicus (exceptis tantùm aliquibus privilegiis, de quibus infrà) laicus autèm incapax Bene-
65 ficii asseritur *in cap. cum adeò, de rescript.* Ulteriùs Clericus coniugatus amittit Beneficia, quæ anteà habebat; ergò à fortiori nova acquirere nequit: multa enim impediunt, quæ non eiiciunt, juxta *Text. in cap. quemadmodum de Jure jur.*

66 Quod amplia procedere, ut quamvis aliqui inhabiles

les, puta irregularis, vel excommunicatus, obtinentes Beneficium juventur regula Cancellariæ *de triennali*, itaùt, si triennio pacificè Beneficium possederint: nequeant ampliùs molestari, ut docet *Gom. ad regul. Cancellariæ regula de triennali quæst.* 26 *§. Quibus non obstantibus, & quæst.* 27. Coniugatus tamèn dicta regula non juvetur, juxtà *Gom. dicta quæst.* 26. *§. Sed breviter Rebuff. de pacif. possessor. num.* 187. *in fine Sanchez de matrim. tom.* 2. *lib.* 7. *disput.* 42. *n.* 15. Et ratio discriminis est quià excommunicatus, & irregularis non sunt omninò incapaces Beneficii, quamvìs enìm illud obtineri nequeant, tamèn anteà obtento non privatur; Coniugatus autèm, & obtentum retinere nequit, & aliud nequit obtinere, quià quoàd hoc reputatur omninò tanquàm laicus.

67 Limita tantùm conclusionem prout limitat illam *text. in cap.* 2. *hoc tit.* quod scilicèt Beneficia acquirere possit coniugatus, quandò legitimè fuerit promotus ad Ordines sacros, Uxore, si senex fuerit promittente continentiam in sæculo, si verò juvenis, profitente Religionem. Vide *Glos. in dicto cap.* 2. *in verb. Castitatem*.

68 Quæres autèm primò. Quinam possit dispensare, ut coniugatus etiàm non servatis conditionibus requisitis *in dicto cap.* 2. *tit. nostro* adhuc tamèn qualecumque Beneficium obtinere possit.

69 Respondeo facultatem hanc unius esse Romani Pontificis. Ità *Abb. in cap. Joannes hoc tit. num.* 7. *Imol. ibidem num.* 9. *Jo. Andr. num.* 12. *Cardin. num.* 5. *opposit.* 2. *& Paris. de resignat. benef. lib.* 4. *quæst.* 2. *num.* 28. *& Sanchez loco citato*.
70 Probatur primò ex *cap. diversis hoc tit.* ubi Pontifex jubet Episcopo, ut privet Clericos coniugatos Beneficiis post coniugium

adeptis,

adeptis, statìmque addit = *Nisi fortè talibus scientèr contuleris Ecclesiastica Beneficia, quibus eos non per te, sed per Superiorem decernimus spoliandos*: ergò non est sufficiens dispensatio Episcopi, aliàs dicti Clerici non essent spoliandi Beneficiis ab Episcopo collatis.

71 Et confirmatur, quia Episcopus nequit dispensare in iis, quæ nequit conferre, ut certum est, sed vigore *dicti capituli diversis* nequit coniugato Beneficia conferre; ergò nequit quoad illa retinenda dispensare.

72 Probatur secundò. Quià Episcopus non potest dispensare contrà Canones, nisi quandò id ipsi expresè permittitur à Jure, ut notant communitèr *DD. in cap. ut si Clerici §. De adulteris de Judic.* quarè cum Clericus coniugatus, exceptis aliquibus privilegiis, reputetur laicus, nequit illi Episcopus dispensare, quià contrà Canones est Beneficium laico conferre.

73 Obiicies tamèn primò. *Text. in dicto cap. Joannes hoc titulo* definientem: non fore cogendum Clericum coniugatum ad deferendum habitum, vel tonsuram, dummodò nullum percipiat Beneficium Ecclesiasticum; ergò supponit posse illum habere Beneficium Ecclesiasticum ex dispensatione Episcopi.

74 Respondeo negando suppositum proùt ponitur. Text. enìm unicè supponit Clericum coniugatum capacem esse, ut dispensetur quoad acquisitionem alicujus Beneficii Ecclesiastici, at cum non declaret cujus sit quoad hoc dispensare, dicendum est unius esse Romani Pontificis.

75 Obiicies secundò: Episcopus potest dispensare in Beneficio simplici cum homicida, & cum irregulari *cap. Henricus de Clericis pugnantibus in duello, & cap. ad audientiam de homicid.* imò etiàm cum deposito *Can. Salonitæ distinct.* 63. ergò à fortiori poterit dispensare cum coniugato. Res-

76 Respondeo dispensationem esse rem exorbitantem à Jure communi, adeòque non esse extendendam à casibus permissis ad non permissos, etiàmsi permissi sint graviores; quià, quæ exorbitant à Jure communi, non sunt in consequentiam trahenda. Ità optimè respondet *Abb. loco superiùs citato*.

77 Quarè cum ex stylo Curiæ, qui est incapax Beneficii, sit etiàm incapax Pensionis, non nisi ex dispensatione Summi Pontificis poterit Clericus coniugatus Pensiones acquirere.

78 Quæres secundò, an si illegitimus, vel alius quicumque inhabilis impetraverit dispensationem ad obtinenda Beneficia, eàque impetratà nubat; an inquam, talis dispensatio ipso jure annulletur, itàut neque soluto Matrimonio prodesse queat impetranti.

79 Respondeo negativè. Ratio est, quià per talem dispensationem nullum jus acquiritur ad Beneficium, nequè in re, nequè ad rem, sed tantùm amovetur impedimentum, ratione cujus amotionis, qui erat inhabilis evadit habilis ad obtinenda Beneficia; Matrimonium autèm non adversatur capacitati naturali, quam aliquis habet ad Beneficium, adeòque nec capacitati obtentæ antè nuptias per sublationem alicujus impedimenti; aliàs enìm nullus Coniugatus esset capax Beneficii Uxore mortua. Ità *Sanchez tom. 2. de Matrim. lib. 7. disp. 42. num. 8. & 9.*



I CAPI-

CAPITULUM II.

An, & quando Clericus coniugatus privilegiis Clericalibus fruatur.

80 DUo sunt potissima Clericorum privilegia, Canonis scilicet, & Fori, ut notum est; Canonis quidèm incipientis, *si quis suadente 17. quæst.* 4. quo statuitur: violentas manus in Clericum iniciientem excommunicationem incurrere Summo Pontifici reservatam: Fori autèm existentis *in cap.2. de foro compet.* ubì eximitur Clericus à Jurisdictione Judicis sæcularis.

81 Hisce privilegiis Clericus coniugatus gaudere nequit, nisi servet conditiones statutas *in cap. unico de Cleric. coniug. in Sexto*; quod nempè unicam, & virginem in Uxorem duxerit, & quod tonsuram, ac vestes deferat Clericales, quibus tertiam addidit *Trid. sess. 23. cap. 6. de reformat.* quod nempè alicujus Ecclesiæ servitio ab Episcopo deputatus, dictæ Ecclesiæ inserviat, & ministret.

82 Notandum tamèm primò hic est, *Text. in dicto cap. unico* privare privilegiis Clericalibus Clericum non ducentem unicam, & virginem ratione bigamiæ, quam in tali casu incurrit: Quarè privabitur dictis privilegiis in eo tantùm casu, quo veram bigamiam subeat, non autèm similitudinariam, vel interpretativam; ut fusiùs dicemus agentes de bigamia sub titulo *de irregularitate* in materiâ *de censuris*. Adeòque si ducat à se solo anteà corruptam, aut si corruptam ab alio, cum ea non consumaverit Matrimonium, vel si du-

si duplex contraxerit Matrimonium, & alterum ex illis non consumaverit, in tali casu, cum verè bigamus non sit, privilegiis Clericalibus non destituitur. Ità *Clar. lib. 5. pract. crim. §. fin. quaest. 36. num.* 10.

83 Notandum secundò. Per unam, aut alteram habitus dimissionem Clericum privilegiis non destitui, dummodò tamèn habitum assiduò non derelinquat; non enìm videtur habitum deserere, qui statim est reassumpturus; *argum. text. in l. 3. ff. de divort.*

84 Notandum tertiò. Clericum coniugatum non posse frui privilegiis præfatis, nisi dictas tres conditiones servaverit tempore commissi delicti, pro quo convenitur. Ità *Clar. loco cit. num.* 15. Et ratio est, quià ad gaudendum foro sempèr inspicitur tempus commissi delicti, juxtà *Clar. ibidem nu.* 11. *Gratian. tom. 2. discept.* 226. *nu.* 1. *& per tot. Cabal. resol. crimin. cas.* 147. *num.* 10. *Rot. decis.* 425. *num.* 5. *part.* 14. *rec.*

85 Notandum quartò; Clericus conjugatum, etiàm laudatas conditiones exactè servantem, non posse frui nisi duobus tantùm privilegiis, Canonis, & Fori; quoad reliqua autèm Clericorum privilegia omninò laicum reputari, puta quoad immunitatem à gabellis, indictionibus, muneribus sæcularibus &c. Ità *Glos. in dicto cap. unico de Cler. coniug. in Sexto in verbo cæteris, Ricc. in pract. var. resolut. resol.* 390. *&* 391. *Valasc. alleg.* 47. *&* 48. *& Rot. decis.* 207. *n.* 1. *par.* 15. *rec.*

86 Jam verò rogabis primò. An Clericus coniugatus non adimplens præfatas conditiones amittat privilegia ipso Jure, vel desideretur sententia Judicis.

87 Respondeo amittere ipso Jure. Ratio est, quià amissio privilegiorum non imponitur Clerico coniugato in pœnam alicujus delicti; nullum enìm delictum committi Clericus coniugatus si non deferat

I 2 vestes

vestes Clericales, vel ducat Viduam, aut ab alio corruptam, sed dicta amissio incurritur ob defectum conditionum requisitarum ad gaudendum dictis privilegiis: deficientibus ergo conditionibus requisitis, eo ipso privilegia cessabunt. Ità *Abb. in cap. Joannes num. 4. hoc tit. Clar. dicta quæst. 36. num. 19. & Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 46. num. 19. & seq.*

88 Rogabis secundò: An Clericus coniugatus dictas conditiones perfectè servans gaudeat privilegio Fori in causis criminalibus tantùm, vel etiàm in civilibus provenientibus ex contractu, vel quasi contractu.

89 Respondeo gaudere in causis criminalibus tantùm. Probatur ex totiès memorato *cap. unico hoc titulo in Sexto*, ubi dicitur expressè, hujusmodi Clericos trahi non posse ad Judicem sæcularem si contrà eos agatur criminalitèr, in cœteris autèm nullo gaudere privilegio; ergò in causis merè civilibus privilegium Fori illi non competit. Ità DD. communitèr *cum Joanne Andr. in dicto cap. unico num. 2. Anchar. num. 4. notab. 4. Abbat. in cap. Joannes num. 3. hoc titulo, & cap. 2. num. 7. de foro compet.* ubi *Imol. num. 3. & Aretin. n. 1. notab. 1. Covarr. pract. quæst. cap. 31. num. 7. Scacc. de Judic. cap. 11. num. 20. Pax Jordan. var. lucubrat. vol. 1. lib. 10. tit. 37. num. 17. usque ad 26. Tusch. litt. C. conclus. 395. num. 36. in fin. Sanfelic. decis. 14. num. 2. decis. 390. per tot. & addit. ad decis. 352. ejusdem vers. Clerici coniugati.*

90 Obiicies tamèn primò idem *cap. unicum*, quod de hujusmodi Clericis loquitur per hæc verba = *Nec ab ipsis sæcularibus Judicibus eos debere personalitèr, vel etiàm pecuniaritèr (ne per unam viam concedatur eisdem Judicibus, quod per aliam denegatur) ullatenùs condemnari* = dicta autèm verba intelligenda veniunt

de

de causis civilibus, aliàs essent superflua.

91 Respondeo dicta verba non esse superflua, sed privilegium magìs declarare, cum enìm prohibuerit Judici sæculari condemnare Clericum in causa criminali, declarat id prohibitum intelligi tàm in casu, quo velit punire in cute, quàm in crumena, ne per viam condemnationis pecuniariæ, concedatur Judici sæculari punire Clerici delicta, quod per viam condemnationis corporalis vetatur, & sic, ut ait text. *per unam viam concedatur eisdem Judicibus, quod per aliam denegatur*.

92 Obiicies secundò. *Dictum cap. unicum* approbat, & declarat Conc. Parisiense concedens Clericis privilegium Fori, ut patet ex illis verbis textus citati. *Et cum juxtà Parisiense Concilium nullus Clericus distringi, aut condemnari debeat à Judice sæculari &c.* Concilium autèm Parisiense relatum *in cap. 2. de for. compet.* dictum privilegium Clericis concedit indistinctè tàm pro causis criminalibus, quàm pro civilibus; ergò &c.

93 Respondeo. *Dictum cap. unicum* non merè declarare Concilium Parisiense, imò restringere, quoad Clericum coniugatum, privilegia à dicto Concilio concessa, & sensus dictorum verborum est; Quamvìs Concil. Parisiense concedat indistinctè Clericis exemptionem à Jurisdictione Judicis sæcularis, tamèn quoad Clericum coniugatum declaramus imposterum id accipiendum esse in Causis criminalibus tantùm.

94 Obiicies tertiò. *Dictum capitulum unicum* dicit Clericum coniugatum non posse conveniri coram Judice sæculari pro commissis excessibus, qui autem in causa civili non servat quod promisit, excessum videtur commisisse.

Res-

95 Respondeo nec delictum, nec excessum proprium illum dici, qui committitur in causa civili, sed illum tantùm, qui patratur in causa criminali, in qua agitur ad vindictam publicam.

96 Obiicies ultimò. Et sententia hac nostra sequeretur meliorem esse conditionem Clerici coniugati delinquentis, & v. g. furto pecuniam acquirentis, quàm Clerici innocentis, qui dictam pecuniam mutuò acceperit, hic enim posset conveniri coram Judice sæculari, secùs autem ille.

97 Respondeo meliorem esse conditionem delinquentis; quià sic à Jure statuitur, & optima cum ratione à Jure statuitur, quia multò indecentiùs esset Clericum pro causa criminali, in qua agitur ad vindictam publicam de reo sumendam, conveniri posse coram Judice laico, quàm in causa mere civili, quæ ad solius damni reparationem dirigitur.

98 Sententia hactenùs relata, & ab objectionibus vindicata, de Jure verior mihi videtur; in praxi tamèn contrariam sequerer, utpotè quæ usu jam prorsùs invaluit, & mentem Sac. Congregationis Concilii sibi consonam jactat; quamvis enim *Marta* loco infrà citando ejus veritatem argumentis demonstrare nitatur, non distruit tamen rationes à nobis suprà recensitas, nec opinionem nostram infringit. Inter fautores autem contrariæ sententiæ numerantur *Ciarlin. contr.* 53. *num.* 54. *Cavall. tract. de cognit. per viam violent. part.* 2. *quæst.* 73. *num.* 4. *Duard. in Bulla Cœnæ lib.* 2. *cap.* 15. *quæst.* 4. *conclus.* 3. *num.* 12. *Dian. resol. moral. part.* 1. *tract.* 2. *resolut.* 50. *& part.* 4. *tract.* 1. *resol.* 78. *Marth. de jurisdict. part* 4. *cas.* 153. *per tot. Ricc. part.* 4. *decis.* 320. *num.* 5. *& collect.* 308. *cæterique apud ipsos.*

Roga-

90 Rogabis tertiò : An Clericus coniugatus cum unica, & virgine, si dimittat habitum clericalem possit illo reassumpto iterùm Fori privilegio gaudere.

100 Respondeo affirmativè cum *Covar. pract. quæst. cap.* 31. *num.* 8. *vers.* 5. *&* *Clar. lib.* 5. *prax. crimin.* §. *fin. quæst.* 36. *nu.* 15. Probatur primò, quià privatio privilegiorum comminata Clerico coniugato ob non servatam dictam conditionem non est privatio pœnalis supponens delictum commissum à Clerico; (ille enìm nullatenùs delinquit clericalem habitum dimittendo) sed est mera privatio legalis ob non servatam conditionem delationis habitus clericalis; quarè cum hæc conditio non sit perpetua, sed semèl assumpta possit dimitti, & iterùm reassumi, sequitur quod privilegium illi cohærens amittatur ea dimissa, & ea reassupta reviviscat; Et de facto *text. in cap. unic. &* *Tridentinum sess.* 23. *cap.* 6. *de reformatione* ajunt Clericos hujusmodi, nisi habitum, ac tonsuram detulerint, non debere frui privilegio clericali, quæ limitatio *nisi habitum &c.* cum sit restrictiva Juris communis intelligi debet illud restringere solùm quamdiù est, & non alio tempore.

101 Probatur secundò, quià non est absurdum ad id quempiam proprio facto restitui, quod proprio facto amiserat, cum nihil tàm naturale sit, quàm eodem genere unumquodque dissolvi, quo colligatum fuit, & è contra per *text. in l. nihil tàm naturale ff. de reg. Jur. &* *in cap.* 1. *tit. eodem*.

102 Probatur tertiò *ex cap. Clericus in secundo de vita, & honestate Clericorum*, ubi Clerico qui dimissa tonsura Uxorem duxit, dicitur ut iterum tondeatur si velit privilegio frui, prout explicat ibi *Abb. num.* 4. *&* *ex Clem.* 1. *tit. eodem* in qua habetur, quod Clerici

Carni-

Carnificum vilemunus exercentes *privilegium clericale quamdiù præmissis insliterint eo ipso amittant*. Adverte ly *quamdiù præmissis insliterint*, & habes probationem conclusionis.

103 Sed dices: Clericus dimittens habitum videtur privilegio renunciare, & hæc renunciatio acceptatur à Superiore, seu à Jure privante ipsum privilegiis clericalibus, quare videtur habere locum regula. *Quod semèl, de reg. Jur. in Sexto. Quod semel placuit ampliùs displicere non potest*.

104 Respondeo. Clericum non amittere privilegium, quià renunciavit, sed quià conditionem non servavit adeòque amissio privilegii non est perpetua, sed solùm pro tempore non servatæ conditionis; Imò Clericus nequè volens renunciare potest privilegio clericali *per text. in cap. si diligenti de for. compet.* & nos latè dicemus alibi.

105 Quid autèm dicendum, si Clericus coniugatus proptèr delictum commissum à Judice sæculari capiatur tempore, quo habitum clericalem dimiserat, & posteà in Carceribus habitum reassumat?

106 Respondeo, privilegio Fori nullatenùs frui debere; quià talis habitus reassumptio non videtur facta animo sic perseverandi, sed præcisè ad vitandam jurisdictionem sæcularem, & in fraudem illius; fraudem autèm, & dolum nemini patrocinari debere certissimum Juris axioma est. Ità *Clar. loc. cit. num.* 43.

107 In dicto autem casu Judex laicus erit quidem Judex causæ, non autem personæ, adeòque poterit causam instruere, & Clericum mulcta pecuniaria afficere, non autem ipsum corporaliter punire, de quo utpotè de persona sibi sacrata Deus inquit, *Nolite tangere Christos meos*. Ità DD. superiùs citati.

Roga-

108 Rogabis poſtremò: An Uxor Clerici in minoribus conſtituti gaudeat privilegio, quo ejus Vir fruitur.

109 Reſpondeo primò, Certum eſſe apud DD. omnes Uxorem Clerici non gaudere privilegio Canonis Clerico competenti; tale enìm privilegium eſt perſonale, & conceſſum in reverentiam Ordinis clericalis, cujus fœmina in capax eſt.

110 Reſpondeo ſecundò. Neque talem Uxorem gaudere privilegio fori. Primò quia etiàm hoc privilegium eſt perſonale conceſſum ratione dignitatis Ordinis. Secundò quia, ut dicit *Innoc. in c. 1. n. 1. de major. & obed.* tale privilegium eſt conceſſum Clericis, eò quòd corpus, & animam in obſequium Dei tranſtulerint, quod in Uxore verificari non poteſt. Ità *Butr. in c. 2. num. 6. de foro competent. Joan. And. in cap. unic. nu. 3. in princ. de Cleric. coniug. in Sexto, ibique Jo: de Lignano, & latè Sanchez loco ſupra cit. diſp.* 47. *per tot.*

111 Argumenta quæ in oppoſitam ſententiam plures DD. immeritò diſtraxerunt, ſunt hæc. Primum quià
112 familia Domini gaudet privilegio Domini *cap. fin. de offic. Archid.* ſed Uxor cenſetur de familia Viri *l. Mulieres C. de dignitatibus lib.* 12. ergò &c. Secundum,
113 quià *Text. in l. cum quædam Puella ff. de Juriſdict. omn. Judic.* generalitèr tradit Uxorèm debere ſortiri
114 forum ex perſona Viri. Tertium, quià *in l. 2. Cod. de Epiſc. & Cleric.* privilegium immunitatis quoad publicas exactiones conceſſum Clericis, extenditur quoque ad eorum Uxores; ergò à pari &c.

115 Ad prima duo argumenta facilis eſt reſponſio, quod nempè privilegium conceſſum uni extendi queat ad alios, quandò ratiò concedendi privilegium, aliis pretèr primum privilegiatum poteſt convenire;

K at

at privilegium fori, utpotè concessum in reverentiam Ordinis, non potest, ut diximus, aliis convenire, prætèr ordinatis, adeòque tale privilegium non est reale, sed personale, ac per consequens ad alios non extendibile.

116 Ad tertium dico id esse speciale in eo casu tantùm, in quo disposuit Legislator, ideòque militare non posse in casibus à Jure omissis, sed eos regulandos esse juxtà rationes, quæ illis assistunt.

117 Unum adverte, & erit expeditus hic titulus, quòd nempè si dubium sit an nè aliquis gaudeat privilegio clericali, vel sit Clericus, cognitio hujusmodi spectet ad Judicem Ecclesiasticum, non autèm ad Sæcularem; Solus enìm Judex Ecclesiasticus est Judex competens in causis spiritualibus, qualis est Clericatus *Text. est in c. si Judex Laicus, de sent. excom. in Sexto*: *Ciarlin. controv.* 20. *per tot. Gratian. discept.* 190. *num.* 13. *Pax Jordan. elucubr. vol.* 3. *lib.* 13. *tit.* 8. *num.* 23. *Cartar. de interrog. reis lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 13. *Sanfelic. decis.* 2. *num.* 30.



TITU-

TITULUS IV.

De his, qui ſunt in altiori dignitatis gradu conſtituti.

1 COGNITIS Clericis coniugatis, eorumque privilegiis intrò diſcuſſis, ad non coniugatos eſt properandum, quorum alii dicuntur in altiori dignitatis gradu conſtituti, alii non; & ſic habes alteram Clericorum diviſionem, ſeù veriùs ſubdiviſionem.

Per partes igitùr conſideranda venit Hierarchia Eccleſiaſtica,& pulcherrimus ordo illius; eam tamèn hiſtoricè, ac ſummatìm recenſebimus,ne, dùm Canones exponimus, contrà hæreticos pugnare videamur. Sit igitur.

CAPITULUM I.

De Summo Pontifice.

2 SUMMUM Pontificem Vicariam Chriſti in Terris obtinere poteſtatem, & univerſalis Eccleſiæ Caput eſſe viſibile, nonniſi prorsùs aberrans à fide negare auſerit; cum Petro, ejuſque legitimis Succeſſoribus illimitatam Chriſtus omnium ſuarum ovium curam commiſerit, quandò illi inquit. *Paſce oves meas, paſce agnos meos. Sicùt enìm* inquit *D. Thom. lib.* 4.

contra Gentes c. 76. in uno spirituali populo unius Ecclesiæ requiritur unus Episcopus, qui sit totius Populi Caput, ita in toto Populo Christiano requiritur, quod unus sit totius Ecclesiæ Caput.

3 Hanc autem facultatem succedendi Petro in Ecclesiæ primatu habet unus Romanus Episcopus, qui eo ipso, ac Romanus Episcopus est, hoc etiam habet, quod primatum in Ecclesiam universam, ut ipse Pe-
4 trus sustineat. Idque deducitur certissimò ex ipso facto Petri, qui quamvis nulli particulari Ecclesiæ esset addictus, utpotè supremus Universæ Princeps, & Caput, tamen primò in Antiochenâ Ecclesiâ sibi Sedem delegit, & in ea Episcopalem Cathedram instituit, in illaque septem annis sedit, ac successorem sibi reliquit Ignatium, vel, ut aliis placet, Evodium. Deinde Romam transiens, ibi Cathedram perennem sibi statuit, in qua usquè ad extremum vitæ spiritum regnavit, decorans illam martirii palma, qua fuit gloriosè donatus. Certum est autèm Sedem Episcopi non dici illam, in qua primò sedit, sed ad quam translatus, in ea tandèm vitam clausit, & ideò non Sedes Antiochiæ dicenda est Sedes Petri, cum eam Petrus adhuc vivens dimiserit relicto sibi Successore, sed Sedes Romana dicenda est Sedes Petri, quo vita per martirium functo, qui successit in Romana Sede, Successor etiam Petri factus est. Ex hoc facto Petri, non sinè divina dispositione peracto, factum est, ut Romanus Episcopatus evectus sit ad culmen Summi Pontificatus, ut qui succederet in Episcopatu, succederet in Pontifi-
5 catu; Sicuti si Ecclesia aliqua Episcopalis erigatur in Patriarchalem, quisquis obtinuerit, ut in tali Ecclesia sit Episcopus, obtinuit quoquè, ut sit Patriarcha. Hinc quoque evènit, quod ea Urbis, quæ caput erat

totius

totius Orbis, in totius etiam Ecclesiæ Caput attolleretur, undè celebres illi versus D. Prosperi.

Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris.
Facta caput Mundi, quidquid non possidet armis
Religione tenet.

6 Illis tamèn silentio obvolutis, quæ adversùs Primatum hunc Romani Pontificis effutire solent Novatores; quæque lato calamo reprobata consulere fas est apud doctrina equè, ac Purpura *Eminentissimum Bellarm. de Romano Pontifice lib.2. per tot. tom. 1. contr.* ne Canonistæ partes omittere videamur, prætereundum non ducimus Canonem sextum Concilii Nicæni, relatum à Gratiano in suo Decreto *Can. mos antiquus dist. 65.* primò aspectu Romanæ Sedis primatui adversantem, vel saltèm ejus restrictivum. Ejus verba trans-
7 lata ex vulgata editione *tom. 1. Conciliorum* hæc sunt = *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolin.*, vel ut legit alia translatio quam sequitur *text. in dicto Can. mos antiquus distinctione 65.* = *Mos antiquus perduret in Ægypto, vel Lybia, & Pentapoli, ùt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem, & Romano Episcopo parilis est mos. Similitèr autèm apud Antiochiam, & cæteras Provincias honor suus unicuique servetur Ecclesiæ.*

8 Summa objectionis, quæ ex hoc Canone instauratur, est; quod adeò absit, ut Concilium Nicœnum primatum Romanæ Sedis, ejusque amplitudinem toto Orbe diffusam admittat, quin potiùs videatur illam restringere certis terminis, & limitibus, & comparare ad potestates limitata Patriarchæ Alexandrini, & Antiocheni.

Canon hìc, quoad sui explicationem, utpotè pa-

rum

rum obviam, torsit equè ac torquet præclarissima ingenia.

9 Primò enim aliqui dixerunt nomine Romani Episcopi venire Constantinopolitanum, cum Ecclesia Constantinopolitana vocetur Romana *in Can. sane il secundo 24. quæst. 2.*

10 Hæc tamen explicatio non videtur congruere temporibus Concilii Nicæni, quibus Ecclesia Constantinopolitana erat multò minor Alexandrina, cum Alexandrina esset prima post Romanam, ut advertit *Eminentissimus Turrecrem. in dicta Can. Mos antiquus distinct. 65. in fine.*

11 Altera explicatio est, quod Episcopus Alexandrinus debeat regere dictas Provincias sibi commissas = *quoniam Romano Episcopo parilis mos est*, idest, quià Romanus Pontifex consuevit permittere Episcopo Alexandrino, quod dictas Provincias gubernaret.

12 Sed zelus sic exponentium quamvis Sedis Apostolicæ primatui apprimè faveat, à sensu tamèn verborum dicti Canonis est prorsùs alienus; Illa enim verba, *quoniàm Romano Episcopo parilis est mos*, id intendunt dicere, quod Episcopus Alexandrinus generat id, quod gerit Romanus, non uterque circà easdem Provincias, sed quilibet circà suas; nequè enim ulla vigeret parilitas, vel similitudo intèr Episcopum Alexandrinum, & Romanum, si Romanus in dicto Canone proponeretur tamquàm principium, & causa, qua Alexandrinus suum regimen gereret.

13 Accedendò igitùr ad evidentiorem, & adæquatiorem laudati Canonis intellectum cum *Paulutio in Jurisprud. sacr. tom. 1. lib. 2. tract. 2. cap. 2. per tot.* suppono primò præfati Canonis Nicæni initium supplendum esse ex aliis verbis mutilatis, vel deficientibus, & firman-

firmantibus Sedis Apostolicæ Primatum; Cum enim iste idem Canon Nicæni perlegeretur in Synodo Eocumenica Chalcedonensi actione 16. sic perlectus fuit, ut videre est ex actis ejusdem Concilii: *Paschasinus Vir Reverendus Episcopus Vicarius Sedis Apostolicæ recitavit. Trecentorum decem, & octo Sanctorum Patrum Canon sextus. Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum. Teneat autèm, & Ægyptus, ut Episcopus Alexandriæ omnem habeat potestatem, quoniam & Romano Episcopo hæc est consuetudo.*

14 Suppono secundò hunc Canonem conditum fuisse occasione accepta à Meletio Lycopolis in Ægypto Episcopo, qui de pluribus criminibus convictus, & præsertìm, quod sub Maximini persecutione Idòlis thus adoleverat, à Petro Alexandrino Episcopo, & Patriarchâ de Sede dejectus fuit, quâ pœnâ validè perculsus, schisma Meletianorum in Ægyptum invexit, subducens se à communione Alexandrini Patriarchæ, & apertè audens Episcopos consecrare, ac confirmare, ut sic impiam factionem suam impensiùs augeret, donec reperit tandèm asseclam Arrium perfidi Ducis perfidissimum Sectatorem, contrà quem Nycęna Synodus acerrimè militavit.

15 Tempore enim Concilii Nicæni aliqua non poterant expediri nisi à Patriarchis; & primò quidem subjectos sibi Archiepiscopos, vel Episcopos consecrare, & confirmari. Sęcundò Synodos convocare in Provinciis sibi subjectis. Tertiò Cognoscere sententias latas à Metropolitis, seu Synodis Provincialibus. Et quartò vices suas committere Episcopo, vel Archiepiscopo alicui.

16 Suppono tertiò Summum Romanum Pontificem quatuor modis considerari posse. Primò quà Summus

mus Pontifex est: Secundò proùt Patriarcha. Tertiò ut Metropolita, seu Archiepiscopus. Quartò ut Episcopus. Sique Pontificatum excipias, qui extrà genus est, & suprà omnem comparationem, quoad alios gradus potest, habita proportione, Pontifex aliqualitèr comparari, & assimiliari cum aliis à se distinctis.

17 Suppono quartò sub temporibus Synodi Nycœnæ universam Ecclesiam divisam fuisse in Orientalem, & Occidentalem. Orienti duo præerant Patriarchæ, Antiochenus scilicèt, sub cujus ditione quindecim Provinciæ continebantur, & Alexandrinus, qui propriè Ægyptum regebat, & novem Provincias tantùm habebat subditas. Universus autèm tractus Occidentalis unum habuit Patriarcham Romanum Pontificem; quarè Concilium Chalcedonense *actione tertia* Leonem Summum Pontificem *Patriarcham veteris, & magna Roma* nuncupavit. In hoc suo Patriar-

18 chatu quamvis plures constituerent Vicarios Romani Pontifices, qui vice sua de majoribus causis judicarent, tamèn nunquàm in usu habuerunt hoc nomine uti, sed quotiès de Patriarchis loquebantur se decorare solebant augusto nomine Romani Pontificis, ut denominationem à sublimiori, & excellentiori gradu desumerent, & manifestarent, ratione Summi Pontificatus eadem in Oriente, ac in Occidente potestatem exercere posse, proùt practicatum fuit sempèr à D. Gregorio, & ab Innocentio Tertio *in cap. grav de præbend. & dignit.*

19 His præsuppositis, evidens fit, & genuinus intellectus præfati Canonis Concilii Nicæni: Ibi enim Patriarcha Alexandrinus comparatur cum Romano Episcopo, non quatenùs hìc Summus Pontifex est (sic enim acceptus quamcumque respuit comparationem) sed

20 sed quatenùs est Patriarcha Occidentis. Paraphrasis
igitùr germana, & litteralis dicti Canonis est, quod
sicuti Romanus Episcopus, qui est etiàm Patriarcha
Occidentis, omnes sui Patriarchatus Episcopos, & Ar-
chiepiscopos consecrat, & confirmat, Concilia con-
vocat, de Metropolitarum sententiis judicat, vices
suas pro occurrentibus negociis committit, nihìlque
audent eo inconsulto agere Occidentales Episcopi,
ità paritèr servetur mos ille antiquus, quo nequè
Asiatici, vel Ægypti Episcopi ordinentur, vel ali-
quid audeant facere inconsulto Patriarcha Alexandri-
no, vel Antiocheno. Quidquid interìm in oppositum
auderet facere Schismaticus ille Meletius, qui huic
Canoni condendo ansam præbuit, cum fraudulentèr
ab Alexandrini Patriarchæ obedientia se subtraxisset,
21 & per se Episcopos ordinasset. Uno verbo. In dicto
Canone dicitur. *Quam habet potestatem Episcopus
Romanus, ut Patriarcha in Provinciis Patriarchatus
sui, eamdem habeant in suo Patriachatu Alexandrinus,
& Antiochenus, & idem omninò servent.* Quæ expositio
videtur etiàm innui à *Cardinali Turrecr. in dicto Can.*
22 *mos antiquus distinct. 65. circa medium*, & ex ea nul-
la oritur diminutio Primatus Sedis Apostolicæ; sicutì
non deterioratur humana dignitas per hoc, quod ho-
mo comparetur sæpè sepiùs cum brutis, proùt exercet
operationes mere sensitivas; semper enìm rebus omni-
bus sublunaribus supereminet, & dominatur, si con-
sideretur in alio respectu, scilicèt, ut intellectivus, &
rationalis.

23 Constans igitùr stat Romani Pontificis Primatus,
qui quoties, ut Summus Pontifex docet ex Cathedra,
aliquid circa fidem, vel mores definiens, errare non po-
test. Petro enìm, ejusque Successoribus ait Christus. *Tu*

es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c. Ego rogabo pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquandò conversus confirma fratres tuos.

24 Repræsentans igitur in Terris Romanus Pontifex Christum ipsum, jure meritò ab Orthodoxis omnibus cultum, & adorationem sui obtinuit, ac quotidie obtinet. Quod vaticinans prædixit *Isaias* dum *c.60.* inquit: *Et venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi*; Quod cum impleri nequeat de mystico Ecclesiæ corpore, quod nec pedes, nec vestigia habet, pernecessè accipiendum est de persona Summi Pontificis, qui Caput est dicti Corporis,& Ecclesiæ Sponsus, & ad cujus pedes, usque à D. Petri temporibus,superno venerationis æstro conciti fideles,& quasi rapti, procubuerunt. Ita dictum Isaiæ locum exponit *Cornelius à Ladipe* §. *Et adorabunt in*
25 *princ.* Utque in debito etiàm hoc venerationis actu humilitatis specimen præferrent Romani Pontifices Crucem calceis adsuere, eosque Cruce insignire statuerunt, ut eo signo adorationem ad Christum referrent, ac ipsi obsequio à fidelibus præstando meritum pietatis insererent, proùt fusê prosequitur *Paulutius in Jurisprud. sacr. to. 1. lib. 2. tract. 2. cap. 10. nu. 6.*

26 Quæres autèm: An stante supremo hoc munere supremi Legislatoris,quo pollet in Ecclesia Romanus Pontifex, in ejus facultate pariter sit cuicumque legi dispensare. Hæc in Jure Canonico maximi momenti quæstio accuratam responsionem meretur.

27 Dico igitùr primò.Romanus Pontifex in lege Divina,& naturali dispensare non potest. Ità ipsi Romani Pontifices, scilicet *Urbanus in Can. sunt quidam 25. quæst. 1. Innoc. Tertius in cap. litteras de restitut. spoliator.*

lator. Alexander Tertius in cap. super eo de Usur. D. Thom. 1. 2. *quæst.* 97. *art. ad tertium, & in quartum dist.* 47. *art.* 4. *& quodlibet* 4. *quæst.* 8. *art.* 3. *SS. Antonius, & Bonavent. Suar. Sylu. Navar. & alii Canonistæ eque, ac Theologi communitèr.*

28 Prima ratio est. Quià dispensandi facultas in lege humana tota sita est in ea, quod Legislator non potuerit prævidere omnes circumstantias, & casus, in quibus expediret publico bono potiùs illam legem solvi, quàm servari; hinc lex censetur adaptata tantùm casibus frequentioribus, juxtà *text. in l. nam ad ea, ff. de legibus*, & casus rarò evenientes censentur commissi dispensationi, ac prudentiæ humanæ; hoc autem nequit evenire in lege divina, vel ea positiva sit, vel naturalis; Deus enìm hujus legislator habet antè oculos omnes, & singulos futuros eventus, sicque legem quam fert casibus omnibus, & personis adaptat, nec tantùm quid fieri velit præcipit, sed præceptis gratiam, & modum adjungit illa adimplendi.

29 Ratio secunda: Quia præcepta Divina, & naturalia sunt immutabilia, per *text. in cap. fin. de consuetud.* §. *Sed naturalia Institut. de Jur. natur. gent. & civil.* ergò super illis nequit cadere dispensatio, quæ legem mutat, & tollit.

30 Ratio tertia: Quia Pontifex si divinæ legi dispensare posset, vel id posset exequi authoritate humana, vel divina; Non humana, quia non potest inferior dispensare legi superioris, *cap. cum inferior de major. & obed. & Can. inferior distinct.* 21. ergò nequit Pontifex potestate humana solvere, quos Deus ligavit; Neque divina communicata sibi fortasse per illa verba: *Quodcumque solveris super terram &c.* quia hujusmodi verba generalia non includunt casus specialissi-

lissimos, & singulari mentione dignas, qualis esset dispensare legi divinæ, vel naturali, hoc est, submovere cardines, ac fundamenta vitæ, & honestatis hu-
31 manæ; sicuti habemus in Jure dispositum, quod licèt Vicarius idem Tribunal cum Episcopo constituat, tamen derogare legi ab Episcopo latæ non possit, sed ad dispensandum iis, quæ majoris momenti sunt, indigeat mandato speciali, nec sufficiat generale; juxta *text. in cap. qui ad agendum, & cap. qui generaliter, de procurat. in sexto, & cap. 3. de offic. Vicar. pariter in sexto.*
32 Aliàs pari modo dicendum esset per dicta verba generalia Christum communicasse Petro potestatem illam privilegiatam, ipsique soli concessam, quam Theologi vocant *Excellentiæ*, mutandi scilicet materiam Sacramentorum, nova instituendi &c. quare optimè ait *Doctor Angelicus 1. 2. quæst. 97. art. 4. ad tertium* = *Ad legem divinam ita se habet quilibet homo sicut persona privata ad legem publicam, cui subiicitur; unde sicut in lege humana publica non potest dispensare nisi ille, à quo lex authoritatem habet, vel is, cui ipse commiserit; ità in præceptis Juris Divini, quæ sunt à Deo, nullus potest dispensare nisi Deus, vel is, cui ipse specialiter committeret.*

33 Ratio quarta est; Quia impossibile est verum vero contrariari, una enim est veritas, & verum consonat omni vero; atqui quodlibet determinatum contra legem divinam esset falsum; ergò &c.

34 Ratio quinta est; Quia Pontifex condendo aliquid contrà legem divinam, vel naturalem, non sententiam daret, sed erraret, ac daret occasionem errandi, cum leges divinæ, & naturales sint regulæ, & exemplaria omnium honestarum actionum; & hæc ratio affertur *in dicto Can. sunt quidam 25. quæst. 1.*

Multis

35 Multis tamen modis hæc nostra Conclusio limitanda est, & primò quidem Papa, vel quilibet alius Princeps dispensare potest in Jure naturali merè permissivo, ut erat jus naturale antiquitùs permittens communionem bonorum, quod posteà per consuetudinem distinctionem Dominorum inducentem, fuit abrogatum *Can.* 1. *dist.* 8. quarè si hoc Jus potest tolli, à fortiori circà illud dispensatio cadere potest.

36 Limitatur secundò in juramentis, & votis, in quibus Papa dispensat, ut ex *Can. juratos* 15. *quæst.* 6. *& ex toto tit. extra de voto*. Voluntas enim humana, & actus ab illa imperati humanæ legi subjacent, imò Vota, & Juramenta hac tacita conditione, & lege censentur emissa, ut potestati, ac dispensationi humanæ subjaceant, si id vergat in bonum Ecclesiæ, vel ad

37 majorem Dei gloriam; seu potes dicere *cum glos. in cap. non est de Voto, verbo authoritate Sedis Apostolicæ*, *& in cap. quantum de Jurejur. verbo absolvi*, & juxtà Doctrinam *D. Thomæ* 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 10. amplexatam etiam *à Turrecr. in Can. sunt quidam* 25. *qu.* 1. *ad secundam.* Papam non dispensare in voto, vel juramento, itaùt jubeat fieri aliquid contra votum, vel juramentum; hoc enim esset contrariari Divino præcepto dicenti *Vovete, & reddite Domino Deo vestro*, sed solùm facere, ut id, quod cadebat sub voto, vel juramento, sub illo amplius non cadat, & non sit debita materia voti, vel juramenti; vel eò quià sit res simplicitèr mala, vel inutilis, vel impeditiva majoris boni.

38 Limitatur tertiò, ut possit Papa, vel alius Princeps dispensare in quibusdam conclusionibus, quæ deducuntur ex principiis naturalibus non necessariò, sed dependenter tantùm ab humana voluntate v. g. Fu-

rem

rem esse ultimo supplicio afficiendum; & in mutuo non reddendo proditori Patriæ exemplificat *D. Thom.* 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 4. *ad tertium*.

39 Limitatur quartò, ut possit dispensare in præceptis Apostolicis, quæ videlicèt non à divina, vel naturali Lege emanarunt, sed ab Apostolis ipsis per se condita fuerunt; in illis enim major est Apostolis, sicuti Petrus, cujus est successor, major erat illis. Ità *glos. in Can. Lector in verbo fiat*, *dist.* 34. *ibique Archidiac. num.* 3. *Gonzal. ad cap. cum secundum de præbend. in notis num.* 2. Ità videmus dispensatum fuisse cum bigamo *in dicto Can. lector*, *licèt Paulus prima ad Thimotheum cap.* 3. prohibuerit bigamos ordinari.

40 Limitatur quintò, ut Pontificis munus sit Legem divinam, vel naturalem dubiam interpretari, puta: an præceptum residendi, vel lucrum supra sortem non captandi in aliquo casu obliget nec ne; ut liquet ex *cap. quanto de Jure jur. & cap. licet de testib.*

41 Nec valet dicere solius Legislatoris munus esse legem à se latam interpretari, juxtà *Text. in l. fin. ff. de legibus*: quomodò igitur Pontifex interpretabitur legem divinam, quam ipse non tulit?

42 Respondeo enim primò. Papam non esse Deum, sed Divino Spiritu regi in rebus Fidei, morumque decidendis, adeòque eumdem Divinum Spiritum esse suarum legum, & conditorem, & interpretem.

43 Respondeo secundò. Inferiorem in aliquo casu posse interpretari legem Superioris, quando scilicèt Princeps, qui legem tulit adiri nequit, & ex alia parte potest ex aliis legibus elici legis ambiguæ intellectus verus, & Princeps dedit aliis à se potestatem interpretandi

tandi legem suam *argum. text. in l.12.& seqq. ff. de leg.*

44 Limitatur ultimò, ut possit Papa dispensare in nonnullis gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, *Levit. cap.* 18. prohibitis, prout definivit sub pœna anathematis *Trid. sess.* 24. *Can. tertio*, & fusius videbimus acturi *de Sacramento Matrimonii*. Ità dispensarunt plures Summi Pontifices, inter quos Julius secundus cum Henrico octavo Angliæ Rege dispensavit, ut posset Catharinam Austriacam prædefuncti Arcturi fratris viduam in Uxorem ducere, eamdemque hodierno Parmensi Duci san· mem. Innoc. XII. fecit potestatem.

45 Jam verò ad principale quæsitum. Dico secundò. Romanus Pontifex sui, suorumque Prædecessorum legibus, quoad vim directivam obstringitur, non autem quoad vim coactivam; *ad Text. concordantes in Can. confidimus, Can. contra statuta, Can. Justitiæ 25. quæst.* 1. *Can. si ea, Can. Institutionis, Can. quod verò, Can. decessorum 25. quæst. 2. & cap. ultimo, de rescriptis in Sexto* rationes optimè de more his verbis

46 reddit *Doctor Angelicus 1. secundæ quæst. 96. art 5. ad tertium: Dicendum quod Princeps dicitur esse solutus à lege, quantùm ad vim coactivam legis, nullus enim propriè cogitur à se ipso; Lex autem non habet vim coactivam, nisi ex Principis potestate: sic igitur Princeps dicitur esse solutus à lege, quia nullus in ipsum potest judicium condemnationis ferre, si contra legem agat; unde super illud psalm. Tibi soli peccavi &c. dicit glos. quod Rex non habet hominem, qui sua facta dijudicet; sed quantùm ad vim directivam legis, Princeps subditur legi propria voluntate; secundùm quod dicitur extrà de constitutionibus cap. cum omnes, quod quisque Juris in alterum statuit, ipse eodem jure uti debet, & Sapientis dicit authoritas. Patere legem,*

quam

quam ipse tuleris; improperatur etiam his à Domino, qui dicunt, & non faciunt, & qui aliis onera gravia imponunt, & ipsi nec digito volunt ea movere, ut dicitur Matth. 21.

47 Intellige tamen conclusionem hanc, ita ut Papa possit se eximere ab observantia legis à se latæ, sibi ipsi dispensando; sicut enim potest se legibus suis ligare, ita, & solvere, cum potestas legislativa sit ad utrumque; Ità latè *Sanchez de Matrim. tom.* 2. *lib.* 8. *disput.* 3. *per tot.*

48 Dico tertiò. Papa potest dispensare in qualibet lege Canonica, sed non nisi ex justis causis, ad hoc, ut licitè dispenset; ratio est quia leges multotiès variari oportet juxtà varietatem locorum, temporum, & personarum, cum leges aptentur hominibus; periculosum autem esset hanc dispensandi facultatem multitudini committere, adeòque ipsi Rectori multitudinis, seu Principi ea committi debet, cum authoritas legis humanæ Principis authoritati innitatur. Cœterùm absque causa legi dispensare Papa non debet, ut enim

49 ait *D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 97. *art.* 4. *si absque hac ratione pro sola voluntate licentiam tribuat non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens; Infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune; imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret, proptèr quod dicit Dominus Lucæ* 12. *Quis putas est fidelis dispensatur, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*, & concordant *Text. in Can.* 2. *distin.* 14. *& Can. & si illa* 1. *quæst.* 7. *ac Tridentinum sess.* 25. *cap.* 18. *de reform.*

50 Causæ autem legitimæ dispensandi plures esse possunt. Primæ ac præcipuæ, necessitas, & utilitas *d.*

51 *Can. & si illa, & cap.* 2. *de translat. Episcoporum*. Secunda

cunda: mutatio temporum,& personarum *Can.* 1.& 3.
52 *disp.* 29. Tertia : Virtus eminens , & habilitas suppli-
53 cantis *Can.* 12. & 13.*disp.*56. Quarta : Periculum dis-
sentionum , & publici damni *cap. dispensationes* 1.
54 *quæst.*7. Quinta : Scandalum pupillorum , & spes illos
55 lucrandi . Sexta : Simplicitas delinquentis *c.tanta pri-*
56 *ma quæst.*7. Septima:Multitudo delinquentium *c.quo-*
57 *ties il* 2. 1. *quæstione* 7. Octava : Temporum , homi-
numque malignitas duriora aspernantium .

CAPITULUM II.

De S.R.E. Cardinalibus.

58 PRÆLIBAVI aliqua circa Summam Romani Pontificis potestatem ; quantum licuit Canonistæ limites non egredienti,sed quoniam alibi de illo sæpè sermo rediturus est ad excelsum illius Senatum, & Pontificii corporis partes est properandum . Tales sunt unicè S.R.E.Cardinales , ita dicti , eo quia super ipsis universæ Ecclesiæ ostia vertantur,& innitan-
59 tur.Cardinalium figura præcessit in Lege Veteri,tunc cum ut habetur *Num.c.*11. jussu Dei Moyses congregavit 70.viros in adjutores suos, & populi Magistros. hocque Cardinalium vaticinum approbavit *Innoc. tertius in cap. per venerabilem , qui filii sint legit .*
60 Deinde in lege Evangelica exemplum Cardinalium refulsit in persona Apostolorum , quos *Luc.c.*6.elegit
61 Christus ad sustinendum onus cum ipso ; donec Cardinalium nomen in Ecclesia illi significationi , qua nunc pollet, donatum fuisse primò reperitur *in Concilio Romano Can.* 6. habito sub *D. Sylvestro* , ubi legitur septem fuisse Diaconos Cardinales in Romana Ecclesia .

62 Hoc autem Cardinalis nomen à locis ad personas derivatum fuisse existimat *Bellarmin. tom. 2. contr. lib. 1. de Clericis c. 16. litt. D.* & cum illo *Baronius*; sub temporibus enim Marcelli Pontificis creati anno 304. Ecclesiæ principaliores, in quibus Baptisma conferebatur, dici cæperunt Ecclesiæ, vel tituli Cardinales, & Presbyter, qui dictam Ecclesiam regebat, Presbyter Cardinalis, ita Diaconiis principalioribus addicti, Diaconis Cardinales dicebantur; Et Episcopi Cardinales vocabantur illi sex, qui in locis Urbi finitimis constituti ad eligendum Pontificem conveniebant, illique in arduis rebus consilio, ac ope præ cæteris præsto erant, imò tempore Divi Gregorii, qui erat Ordinatus ad titulum alicujus Ecclesiæ, & urgente necessitate ad aliam erat transferendus, in illa dicebatur incardinari, seu Cardinalis creari, ut liquet *ex Can. pastoralis 7. quæst. 1.*

63 Innoc. IV. anno Domini 1244. in Concilio Lugdunensi celebrato contra Fridericum secundum Imperatorem Cardinalibus concessit Galerum rubrum, ex qua concessione purpuram etiam Cardinalibus in quotidianum usu permissa fuisse censent *Tholosan. in partit. Jur. Canon. lib. 4. tit. 8. c. 2. litt. L. & Co-*
64 *bell. in notit. Card. c. 11. litt. B.* licèt alii sentiant Innoc. IV. in usu habuisse Galerum rubrum solùm illis Cardinalibus concedere, quos Legatos à Latere mitteret, sed deinde Paulum Secundum omnibus Cardinalibus eumdem largitum fuisse, ut asserit Platina in ejus vita, *& Azor. part. 2. Instit moral. lib. 4. c. 3.*
65 *quæst. 18.*; Et sanè sacro huic EcclesiæSenatui purpureus color optimè convenit, tum ad ostendendam regiam potestatem, ac denotandum Salvatoris nostri Mysterium, qui à Judæi purpura per jocum circumdatus,

tus, præter eorum intentionem, fuit Rex appellatus; tum etiam quià ſanguinea Chlamys teſtatur Cardinales illa amictos pro Chriſtianæ Fidei defenſione mortem fore ſubituros, idque colligitur ex formula, cum quà eis tribuitur Galerus ruber, quæ reperitur *in Cæ-*
66 *remoniali Romano lib. 1. ſect. 8. c. 7. in fine = Accipe Galerum rubrum inſigne ſingulare Dignitatis Cardinalatus, per quod deſignatur, quod uſque ad mortem, & ſanguinis effuſionem incluſivè pro exaltatione S. Fidei, pace, & quiete populi Chriſtiani, augumento, & ſtatu S.R.E.te intrepidù exhibere debes. In nomine Patris &c.*
67 Regularibus tamen è Monaſtica diſciplina ad Cardinalatum evictis uſque ad tempora Gregorii XIV. uſus Bireti rubri interdictus fuit, donec ſummus ille Põtifex de Anno 1591. facultatem illud deferendi etiam ipſis conceſſit, dummodò tamen habitum colorē Religionis præſeferentem deferrent, ut videre eſt *ex Conſtitutione*
68 *nona ejuſdem Pontificis Bullar. to.2.*; Ac demum noviſſimè ſub Urbano VIII. titulus Eminentiſſimi unicuique ex Cardinalibus conceſſus fuit. Titulus quidem tantæ ſublimitatis, ut ſacra Rituum Congregatio ſub Innoc. X. decreverit quod Principes, qui dum Laici eſſent Celſitudinis, vel Serenitatis titulo decorabantur, ad Cardinalatum promoti, ſolo titulo Eminentiſſimorum contenti eſſe debeant, quod decretum in forma Brevis idem Innoc. X. confirmavit, ut videre eſt *in ejus 2. Conſtitutione Bullar. tom. 5.*
69 Varius fuit Cardinalium numerus, & nunc major, nunc minor pro temporum varietate, hodiè autem *ex conſtitutione Sixti Quinti inter ſuas 50. Bullar. tom. 2.* ad 70. Patres redactus eſt, quorum 50. debent eſſe Presbyteri, Diaconi 14., Epiſcopi ſex; Oſtienſis ſcilicet, Portuenſis, Sabinus, Præneſtinus, Tuſculanus, & Albanus.

70 Celsissimus hic igitur Cardinalium Senatus unum cum Pontifice corpus constituit, ideòque Cardinales nequeunt recedere à Curia ubi Papa residet, nisi de ejus licentia, teste *Gonzal. ad reg. 8. Cancellar. glos. 24. à num. 123.*, & quando ab ipso mittuntur ad regendam aliquam Provinciam, Legati à latere nuncupantur, veluti ejus latus sint. Ita *Hostien. in c. cum dilectus de præbend. num. 2.*

Ob tantæ igitur Dignitatis præeminentiam pluribus privilegiis Cardinales sunt decorati.

71 Et primò quidem in Ecclesiis, quarum sunt Titulares, aliisque ipsis subjectis exercere possunt jurisdictionem Episcopalem, ibique dummodò sint in Urbe præsentes, Beneficia conferre, acceptare resignationes Beneficiorum, visitare personas ratione titulorum subjectas, easque excommunicare, conferre in propriis titulis Ordines minores suis sudditis, & familiaribus, quamvìs Episcopi non sint. De his omnibus sufficiat pro cunctis consulere *Cardinalem Albitium in suo opusculo de jurisdictione, quam habent S. R. E. Cardinales in Ecclesiis suorum Titulorum.*

72 Secundò. Hostilitèr insequentes, vel in persona offendentes Cardinalem, sunt rei criminis læsæ majestatis, ejusdemque pœnæ rei sunt, auxilium, vel consensum quoquo modo præstantes, *text. est in cap. fœlicis, de pœn. in 6.* Imò nepotes, & filii hujusmodi de-
73 linquentium Beneficiis, & dignitatibus Ecclesiasticis privantur, àc ad alias obtinendas inhabiles fiunt. Ita *Farinac. part. 5. prax. crim. quæst. 112. & Decian. tract. crimin. lib. 7. cap. 41. num. 32.* Ejusdem
74 delicti reus est, qui Cardinalis Domum invaserit *ex Bulla Leonis X. incipien. Temerariorum intèr suas 16. Bullar. tom. 1.*, & qui prædicta delicta sciverit, ac non

ac non revelaverit *ex Constitutione* 93. *S. Pii V. incipien. Infœlicis Bullar. tom.* 1.

75 Tertiò. Cardinales solummodò, extrà Curiam missi dicuntur Legati à latere; *Alban. de Cardinal. quæst.* 42. *privil.* 22. *&* 23.

76 Quartò. Cardinales gaudent fermè omnibus privilegiis, quibus fruuntur Episcopi, ob majorem eorum dignitatem. Ità *Barbos. de Jur. Eccles. part.* 1. *lib.* 1.
77 *cap.* 4. *num.* 77. & ideò non includuntur sub generali sententia interdicti, vel suspensionis, nisi de illis specialis mentio facta fuerit; *Bellett. disquisit. Clerical. part.* 1. *tit. de discip. Cleric.* §. 2. *num.* 48.

78 Quintò. Ad Cardinalatum evectus eo ipso à patria potestate est solutus. Ita *Germon. de indult. Cardinal.* §. *Quod tu Romanus num.* 3. *Manfred. de Cardin. cap.* 8. *priv.* 8.

79 Sexto. Si Regularis fuerit in Cardinalem assumptus subtrahitur ab obedientia Superiorum Religionis, & à reliquis observantiis regularibus, solique Ponti-
80 fici subjectus manet; non solvitur tamen à votis, & ab iis, quæ sunt de substantia Regulæ; quarè domi-
81 nium non acquirit, ne testari potest nisi Pontifice dispensante. Ità *Bald. in Auth. licentiam num.* 3. *Cod. de Episc. & Cleric.*, *ibique Castrens. num.* 2. *Redoan. de Spoliis quæst.* 3. §. *fin. num.* 14. *&* 15. *Lezana quæst. regul. cap.* 17. *num.* 5.

82 Quod intelligas procedere in reliquis etiam Cardinalibus, qui pariter non nisi Pontifice dispensante testari possunt, per *Text. in cap.* 15. *de testam.* Excep-
83 tis tantùm ornamentis Capellæ in propriis ædibus existentis, in quibus Camera Apostolica succedit *ex Con-*
84 *stitutione* 7. Julii III. & pretio annuli in assumptione ad Cardinalatum dari soliti, in quo succedit Sac.

Congre-

Congregatio de Propaganda Fide juxtà *Bullam* 26. *Gregorii XV.*

85 Septimò in Concilio Lateranensi tertio statuit Alexander tertius, ut is demum electus Pontifex censeretur, in quem duæ ex tribus partibus Cardinalium consensisset, ut liquet, *ex c. licet de electione*.

CAPITULUM III.

De Patriarchis, & Primatibus.

86 PAtriarcha nomen græcum idem significat, ac *Patrum Princeps. Can. Cleros vers. Patriarcha distinct.* 21. Tres à D. Petro fuerunt instituti Patriar-
87 chatus; Primò Antiochenus; Antiochiæ enim ipse
88 primam sedem habuit; deinde Romanus, cum sedem
89 Romam transtulit. Tertiò Alexandrinus, quem instituit per D. Marcum Evangelistam, suumque discipulum, Alexandriam missum ad evangelizandum ibi Christum Crucifissum: Quod optimo consilio à D.
90 Petro factum fuisse testatur Clemens ejus Discipulus, ac successor relatus in *Can. in illis distinct.* 80. = *in illis verò Civitatibus, in quibus olim apud Ethinicos primi flamines eorum, atque primi legis Doctores erant, Episcoporum Primates, vel Patriarchas Beatus Petrus poni præcepit*: Collocatæ igitur meritò fuerunt præcipuæ Cathedræ in pręcipuis Orbis Urbibus. Alexandria enim caput erat Imperii Meridionalis, seu Egypti; Antiochia caput Imperii Orientalis, seu Asiatici, & Roma caput totius Occidentis.

91 Adverte tamen Pontificem Summum, etiam ut Romanum Patriarcham consideratum, majorem reliquis Patriar-

Patriarchis fuisse, non solum ratione loci, ut erat Alexandrinus Antiocheno, sed ratione majoritatis, & supremæ potestatis, itaut omnem dignitatem, quam habent reliqui Patriarchæ simul, habeat solus ipse Pontifex. Ità *Bellarm. tom. 1. contr. 3. lib. 2. cap. 18.*

92 Cœterum statuit D. Petrus, quod post Romanam Sedem Alexandrina, Antiochenæ præesset; idque quia Præfectura Alexandrina, quæ *Augustalis* dicta fuit, & ab *Augusto* suo nomine decorata, fuit ab eodem præcœteris magnificentissimis privilegiis nobilitata, & adaucta, itaut sex Ægypti Provinciis totique Ægypti Imperio jus diceret per *text. in l. unica ff. de officio Præfecti Augustalis, ibique glossæ*. Post

93 Præfecturam autem Augustalem recensebatur Præfectura Syriæ, cujus Metropolis erat Antiochia. Consule *Barbos. part. 1. de jur. Ecclesiast. cap. 6. n. 18. & Gonzalez Tellez. tom. 5. ad cap. antiqua de privil.*

94 *in notis num. 5.* Usque ad tempora igitur primæ Synodi Constantinopolitanæ tres tantùm Patriarchatus superiùs recensiti in Ecclesia vigebant; cum Bizantinus Episcopus qui antiquitùs merus erat Heracleensis Metropolitæ Suffraganeus, quique sub Constantino, qui Bizantium in Constantinopolim, ac Romano novam vertit, in Archiepiscopum erigi meruerat, ingenita Græcis ambitione exæstuans totis viribus cona-

95 tus est, ut quoque Patriarcha fieret. Editus itaque fuit Canon. 3. Concilii Constantinopolitani primi his verbis. *Constantinopolitanus Episcopus habeat priores honoris partes post Romanum Episcopum, eo quòd ipsa sit nova Roma*; hicque Canon à Gratiano refertur *in Can.*

96 *Constantinopolitani distinct. 22.* Quamvis autem Canonem hunc adulterinum, ac falsum clarissimè evincant *Melchior Canus de locis Theolog. lib. 5. cap. fin. & lib. 6.*

& lib. 6. c. 8. ac novissimè lato calamo *Paulutius in Jurisprud. Sacr. lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 12. *num.* 12. tamen ab illo occasione arrepta, & Imperatorum potentiæ innixi, cæperunt Constantinopolitani Episcopi Patriarchalia munera exercere, quamvis non nisi post Annum Domini 500. tempore Justiniani Imperatoris, tum illius opera, cum Pontificum Romanorum permissione in numero Patriarcharum haberi cæperint, prout testatur *Bellarm. tom.*1. *contr.* 3. *lib.* 1. *cap.* 24. *litt. D.*

97 Quarto posthàc sæculo, Anno Christi 452. Juvenalis Hyerosolimæ Episcopus, & Cœsariensis Metropolitæ Suffragraneus *in Concilio generali Chalcedonensi act.* 7. obtinuit se in Patriacham creari ob hac rationem, quod maxima esset frequentia Peregrinorum, quæ ad loca sacra veneranda, Hyerosolimam peteret, sicque additus est quartus Patriarcha.

98 Sed adhuc Constantinopolitano Patriarcha præeminentiam supra cæteros affectante, ad Schismatis occasionem amovendam *Innoc. III. in Conc. Lateranensi relato in c. antiqua de privil.* concessit primum locum post Romanam Sedem, Sedi Constantinopolitanę, secundum Alexandrinæ, tertium Antiochenæ, quartum Hyerosolimitanæ.

99 Primum autem Patriarcharum privilegium est, quod habeant ordinariam jurisditionem super omnes Metropolitanos, & Episcopos totius Provinciæ *d. c. antiqua*.

100 Secundum est, quod à Provinciis subditis possit ad eos immediatè fieri appellatio omisso medio, puta Episcopus non habet necessitatem (si velit) appellandi ad Archiepiscopum, sed immediatè potest recurrere ad Patriarcham; Ità *Abb. in d. cap. antiqua num.*7. & 8.

& 8. & Tholos. Syntag. Jur. lib. 15. cap. 9. num. 6.

101 Nec obstat quod *dictum cap. antiqua* inquiat *Salvis appellationibus ad Sedem Apostolicam interpositis*, quatenus hoc,quod appelletur omisso medio soli Romano Pontifici dicat convenire.

102 Respondeo enim dictum textum aliquod privilegium de novo concessisse Patriarchis, ut ipsemet ait in initio ibi = *Antiqua Patriarchalium Sedium privilegia renovantes*, nihil autem de novo concessisset permittendo tantùm ad eorum Tribunal appellationes interponi posse, sed gradatim, & non omisso medio; hoc enim privilegio Patriarchæ jam pridem fruebātur.

103 Tertium privilegium est, ut ubique Crucem præseferre possint, præterquàm Romæ, vel ubicumque Summus Pontifex præsens fuerit, aut ejus Legatus, juxtà *text. in dicto cap. antiqua*.

104 Præter quatuor Patriarchas majores superiùs relatos adsunt alii minores, inter quos primus est *Aquilejensis*, qui post captam ab Albino Longobardorum Rege Aquilejam, Venetiis Sedem suam fixit, ibique permanens antiquum nomen retinuit, ac servat; teste *Barbos. part. 1. Jur. Eccles. lib. 1. cap. 6. num. 31.*

105 Secundus erat *Grandensis* Civitatis scilicèt brevi ambitu, paludibus, & flumine circumseptæ, ideòque ob aeris intemperiem Nicolaus Quintus Anno 1441. ejus Sedem Venetias transferri jussit, ibique suppresso Grandensis Patriarchæ nomine, primum Venetiarum Patriarcham creavit D. Laurentium Justinianum. Ità *Bernardus Justinianus in sua de Venetiarum gestis Historia lib. 12.*

106 Tertius est *Patriarcha Indiarum, seu novi Mundi* à Paulo III. creatus, juxtà *Gonzal. ad reg. 8. Cancellar. Glos. 41. num. 14. in fin.*

N Et

107 Et ultimus est Patriarcha Ethiopiæ.
108 Patriarchas subsequebantur Primates, qui potius nomine, quam re, & dignitate à Patriarchis distinguebantur, & solebant esse in Occidente Vicarii Summi Pontificis, in Oriente autem Patriarcharum; sed de his satis cum vix inanis memoria eorũ superſit.

CAPITULUM IV.

De Archiepiscopis.

109 POst Primates, & Patriarchas ordinem Hierarchiæ Ecclesiasticæ conflant *Archiepiscopi*, ità dicti, veluti *Principes Coepiscoporum suæ Provinciæ*, juxtà *Can* 1. *distin.* 21. qui etiam *Metropolitani* appellantur *à Metropoli*, *seu præcipua Provinciæ Civitate*, quæ quomdammodò Mater est Urbium reliquarum.
110 Quoad Jurisdictionem igitur illorum sit prima assertio. Archiepiscopus habet jurisdictionem ordinariam in omnes Episcopos, seu Suffraganeos Provinciæ non exemptos cum potestate eosdem compellendi etiam per censuras Ecclesiasticas ad propria munia obeunda *ad text. in Can.* 1. 2. *&* 3. 9. *quæst.* 3. *&* *in cap. pastoralis propè initium de offic. Jud. ord. Lancellot. Conrad. in templo omn. Judic. lib.*2. *cap.*4. *Genuens. prax. cap.* 7. *num.* 7. *latè Pegas de competent. intèr Archiep. &c. part.* 1. *cap.* 47. *num.* 26. *&* 27. exceptis
111 tantùm causis criminalibus gravioribus, & ob quas mereantur Episcopi depositionem ab officio, quorum cognitionem solus Papa sibi reservavit *in Concil. Trident. sess.* 24. *cap.* 5. *de reform.*
112 Advertendum tamen, quod si Archiepiscopus sit in

in Provincia, vel ab illa multum non diſtet, nequeat ejus Vicarius generalis procedere per cenſuras Eccleſiaſticas contra Epiſcopum ſuffraganeum per *Text. in cap.* 1. §. *Officiales, de offic. Judic. ordin. in* 6. idque ob reverentiam dignitatis Epiſcopalis. Quod ſe-
113 cus dicendum venit in ſpecialiter Delegato ab Archiepiſcopo ad procedendum contrà Epiſcopum ſubditum, hic enim utique contra illum procedere poterit, ad mentem *Joan. Andr. in d. cap.* 1. *num.* 4. *in fin. Et Ventrigl. in prax. Epiſcop. part.* 2. *annot.*. 14. §. 1.
114 *num.* 39. Et ratio prima eſt quia ſpecialiter delegatus, in illa Cauſa, ad quam eſt ſpecialiter delegatus, habet majorem poteſtatem ipſo Epiſcopo, contrà quem procedit in Cauſa, cum in tali Cauſa gerat vices ip-
115 ſiuſmet Archiepiſcopi delegantis. Secunda ratio eſt, quia à Sententia Vicarii generalis non poteſt appellari ad Archiepiſcopum, cum unum, & idem Tribunal conſtituant Archiepiſcopus, & ejus Vicarius *c. Romana in princ. de appellat. in* 6. è contrario autem poteſt ad illum appellari à ſententia Delegati cum habeant Tribunal diſtinctum.

116 Aſſertio ſecunda. Archiepiſcopus non poteſt exercere juriſdictionem in ſubditos Suffraganeorum, niſi in Caſibus expreſſis in Jure. Text. ſunt concordes *in Can. nullus, & Can. conqueſtus* 9. *quæſt.* 3. *cap. paſtoralis in princ. de offic. Jud. Ordin. & cap.* 1. *in princ. eod. tit. in* 6. Imò neque poteſt exercere poteſtatem extrajudicialem in Diœceſibus Suffraganeorum, ut conferre Ordines, conſecrare Altaria &c. niſi hoc faciat de licentia Papæ, vel Suffraganei. Ità *Anchar. in cap.* 1. *de offic. Jud. ordin. in* 6. *not.* 3. *Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 20. *de reform. Zerol. in prax. For. Eccleſ. part.* 1. *verb. appellatio verſ. ad dicimum Cartar. deciſ.* 53. *num.* 6.

N 2 Ho-

117 Horum autem Casuum primus est, si à sententia, vel gravamine Episcopi appellatum fuerit ad Metropolitanum dicto *Can. conquestus, ibique glos. in verb. provocaverit cap. Romana §. Cum autèm, & cap. si verò de appellat. in 6. dicto cap. Pastoralis, cap. Dilectus, cap. Cum causam, cap. Sollicitudinem de appellat. cap.* 1. *de For. compet. in* 6. *Barbos. de offic. Episc. part.* 1. *tit.* 4. *num.* 61. *Fenzon. ad statut. Urb. cap.* 166. *in annot. num.* 16.

118 Adverte tamen primò, quoad hunc casum non posse Archiepiscopū deputare in Diœcesibus Suffraganeorum Vicarios, seu Judices super futuris Causis appel-
119 lationum, quæ ad ipsum Archiepiscopum deferendæ erunt; quia cum Archiepiscopus perse ipsum nequeat, extra casus in Jure expressos exercere jurisdictionem in Diœcesibus Suffraganeorum, neque potest extra tales casus eam exercere per alium; quod enim quis per se non potest, neque per alium *Can. fin. dist.* 46. Ità *text. in cap.* 1. *de offic. ordin. in.* 6. *Lotter. de re benef. lib.* 1. *quæst.* 22. *num.* 63. *Ventrigl. in prax. annot.* 49.
120 *num.* 32. *in fin.* nisi tamèn contraria Diœcesum, & Provinciæ consuetudo hujusmodi delegationem permittat, per *text. expressum in cap. ut litigantes tit. mox citato in sexto, & DD. laudatos ubi suprà*. Poterit
121 tamen in illis delegare Judicem, qui sui loco causam cognoscat, quandò jam ad ipsum Archiepiscopum fuerit appellatum; quia per appellationem interpositam Archiepiscopus acquisivit jurisdictionem in Diœcesi Suffraganei. Ità *text. in cap.* 1. *in princ. de offic. Jud. ordin. in sexto*.

122 Adverte secundò, quod si Archiepiscopus cognitionem causæ ad ipsum per appellationem delatæ velit delegare alicui subdito Suffraganei sui, hoc quidem face-

facere possit, sed non possit delegatum cogere invitum ad suscipiendum delegationem *Text. in cap. Pastoralis in princ. de offic. Jud. ord.* Ratio primæ partis .
123 assertionis est,quià Archiepiscopus per appellationem ad suum Tribunal delatam acquisivit jurisdictionem in appellatum, & appellantem, adeòque potest hanc causam cui voluerit delegare; sufficit enim causam pertinere ad jurisdictionem delegantis, licèt delegatus non sit de jurisdictione illius; *Glos. in d. cap.*
124 *Pastoralis, in verbo nullam habeat*. Ratio alterius partis assertionis est, quia cum delegatus non sit subditus deleganti, nequit ab eo cogi ad appellationem
125 suscipiendam:Poterit tamen in hoc casu Archiepiscopus mandare suo Suffraganeo, ut cogat delegatum ad recipiendam commissionem juxtà *Glos. 5. cit.* quia Archiepiscopus potest compellereEpiscopum,ut exequatur officium suum. Ità *Gratian. discept. 169. n. 12. Ventrigl. in prax. loco cit. num. 31. in fin. Rot. coram Seraphin. decis. 1212. per tot.*

126 Sed dices contra primò.Episcopus potest ex dictis compellere suum subditum ad suscipiendam delegationem; sed per appellationem interpositam jurisdictio Episcopalis est devoluta ad Archiepiscopum; ergò etiam Archiepiscopus potest compellere subditum Suffraganei sui ad suscipiendam delegationem .

127 Respondeo per appellationem devolvi jurisdictionem ad Archiepiscopum, quoad partes tantùm, nempè quoad appellantem, & appellatum, non verò etiam quoad subditum sui Suffraganei, qui nonnisi ab Episcopo suo proprio superiore compelli potest ad delegationem suscipiendam.

128 Dices secundò *In Can.per singulas 9. quæst.3.* habetur, quod Archiepiscopus sit Judex ordinarius totius Pro-

Provinciæ; ergò habet jurisdictionem in omnes de Provincia, sed subditus Suffraganei est etiam ipse in Provincia; ergo etiam in illum habet jurisdictionem.

129 Respondeo habere quidem jurisdictionem Archiepiscopalem in totam Provinciam, ideò totam Provinciam visitat, sed Episcopalem tantùm in sua Diœcesi, extrà illam verò est solùm Judex ordinarius, in quibusdam casibus à Jure præfinitis; sicuti à pari, licèt Episcopus sit Judex ordinarius totius Diœcesis, non est tamen Judex exemptorum, nisi in quibusdam casibus exceptis juxta *Abb. in d. cap. Pastoralis num.* 8.

130 Secundus jam casus, in quo Archiepiscopus habet jurisdictionem ordinariam in subditos Suffraganeorum est casus concernens statum, & utilitatem totius Provinciæ, puta si Archiepiscopus velit tollere pravam consuetudinem, quæ in tota Provincia vigeat, & excommunicare illam servantes, quià universalis cura, & sollicitudo Provinciæ Metropolitano commissa est *Can.* 1. *distinct.* 21. *cap. fin. de fil. Presbyt. Abbas in cap. Pastoralis de offic. Jud. ordin. in princ. & Felin. num.* 7. *Barb. de Jur Eccles. lib.* 1. *cap.* 7.

131 Tertius casus est, quando delicta sunt notoria, tunc enim ea punire potest Archiepiscopus *cap.* 1. §. *Notoria de censib. in sexto*; *Quarant. in sum. Bullar. verb. Archiepiscopi auctoritas vers.* 24. *Genuens. in prax. cap.* 80. *nu.* 11. *Barbos. loc. cit. nu.* 75. *& Ventrigl. de Jurisdict. Archiepisc. cap.* 93. *per tot.*

132 Quartus casus est, tempus Synodi provincialis, in qua potest Archiepiscopus cognoscere inter subditos Suffraganeorum ex *Trid. sess.* 25. *decret. de invocat. & reliq. Sanctor. & Can.* 1. 6. *quæst.* 2. *Barb. loc. cit. nu.* 3. *& seqq. Ventrigl in prax. part.* 1. *annot.* 49. §. *unic. n.* 14. Ali-

133 Aliqui DD. cum *Glos. in d. cap. Pastoralis verbo exceptis* sentiunt alium casum exceptum esse, si Episcopus sit negligens in exercenda jurisdictione, tunc enim quoque asserunt ejus jurisdictionem devolvi ad Metropolitanum.

134 Cœterum ego sentio *cum Abbate in d.cap.Pastoralis num.* 10. & 12. quod licèt Archiepiscopus possit compellere Episcopum negligentem ad justitiam administrandam, & suum officium exequendum; nunquam tamen habeat jurisdictionem in subditos Suf-
135 fraganei, nisi in casibus à Jure expressis; Ratio est, quia cum hìc versemur in materia prohibitoria, eò ipso, quod Archiepiscopo non conceditur jurisdictio in subditos Suffraganei, censetur illi denegata; nullibi autem reperitur in Jure concessa Archiepiscopo jurisdictio in subditos Suffraganeorum ob meram Episcopi negligentiam. Ità sententiam Abbatis amplectitur, & egregiè tuetur *Pirhing. lib.* 1. *in Jus Canon. tit.* 31. *sect.* 2. §. 2. *num.* 29.

136 Nec obstat *text. in Can. cum simus* 9. *quæst.* 3. quia ibi habetur sermo de causa speciali nempè de Æconomo, quem si Episcopus Ecclesiæ non præfecerit, spectat provisio ad Archiepiscopum; adeòque non debet extendi conclusio ad omnem alium casum negligentię ab Episcopo commissæ contra *Text. in cap. pastoralis supra cit.* quod scilicet Archiepiscopus non habeat jurisdictionem in subditos Suffraganeorum, nisi in certis casibus determinatis à Jure.

137 Sicuti neque officit *Text. in cap.quanto de off. Jud. ordin.* in illo enim licèt concedatur facultas Archiepiscopo puniendi Monachos extrà Claustra vagantes, quando eorum Abbates illos punire negligant, tamen ibi hoc committitur Archiepiscopo, non quià Archie-

Archiepiſcopus eſt, ſed quatenus Judici ordinario, ſeu Epiſcopo illius loci, in quo manebant tales Monachi vagabundi.

138 Ulteriùs tales Monachi (ut ibi habetur in textu) diſcurrebant publicè,& palam perCurias Principum, adeòque eorum delictum erat notorium toti Provinciæ; in delicta autem notoria poteſt Archiepiſcopus animadvertere, ut ſuperiùs monui.

139 Sed contra principalem aſſertionem, qua diximus Archiepiſcopum non habere juriſdictionem in ſubditos Suffraganeorum, niſi in caſibus à Jure ſtatutis, Obiicies primò. Archiepiſcopus habet juriſdictionem in Suffraganeum; ergo à fortiori in ſubditos illius, quià ſi vinco vincentem te, à fortiori vincam te.

140 Reſpondeo hoc axioma procedere ubi militat eadem ratio, ſecus ubi militat diverſa,ut in caſu noſtro. Subditi enim ſubſunt Epiſcopo proprio Epiſcopali juriſdictione; Epiſcopus verò ſubeſt Archiepiſcopo juriſdictione Archiepiſcopali, adeòque non eodem genere poteſtatis, quo Epiſcopi ſubſunt Archiepiſcopo, eorum ſubditi ſubſunt ipſis; ſicuti non eſt abſurdum,quod ſubditus ſubditi mei non ſit ſubditus meus *per Text. in l.* 105. *ff. de verb. & rer. Signif.*

141 Obiicies ſecundò *Can.* 138. *Concilii Africani*, in quo ſic legitur. *Decreta Nicæna, ſive inferioris gradus Clericos, ſive ipſos Epiſcopos Metropolitanis apertiſſimè commiſerunt*; Ergo Archiepiſcopus poteſt in quoſvis Clericos, etiam ſubditos Suffraganeis pro libito procedere.

142 Reſpondeo primò dictum Can. intelligi poſſe de ſubditis Suffraganeorum in ſecunda Inſtantia,qui ſcilicèt à ſententia Epiſcopi appellaverint ad Metropolitanum.

Reſpon-

143 Respondeo secundò,& veriùs Can.illum procedere tantùm in Ecclesia Africana, in qua depositiones Clericorum ab officio erant Metropolitano reservatę, ut colligitur ex *Epistola* 226.*D.Augustini* quare sensus dicti Canonis erat quod cognitionem criminis depositione digni Metropolitanis tantùm Sacri Canones commiserant. Ità *Hallier. lib.*4. *de jurisd. Hyerarch.* §. 4. *pag.* 387.

CAPITULUM V.

De Episcopi, & eorum officio, ac potestate.

144 CLAUDUNT Ecclesiasticam Hyerarchiam *Episcopi*, veluti *Speculatores*, vel *Superintendentes*: hoc enim latinè sonat nomen græcum *Episcopos*, *ad*
145 *Text. in Can. si quis Episcopus* 2. *quæst.*7. Eorum siquidem munus est de subditorum moribus inquirere, & in gregem sibi commissum sedulò intendere, cum in propria Diœcesi ordinariam, & universalem habeant jurisdictionem per *Text. in cap.* 1. *de offic. Jud. ordin.*
146 Maximi tamèn momenti quæstio est, quæ in hoc proposito à DD. solet excitari: an Episcopi hanc potestatem jurisdictionis immediatè acceperint à Christo Domino, vel potius ab Ecclesia, seu ejus Capite Romani Pontifice.
147 Ac verior, & communior sententia est hanc potestatem non esse immediatè à Christo, sed à Romano Pontifice. Ità *Alexand. de Ales*, *Albertus Magnus*, *SS. Thom. & Bonavent.* relato ab *Eminentissimo equè Theologo, ac Canonista Cardinali Turrecr. in Can. Omnes dist.* 22. & ex Canonistis *Innoc. Anton. de Butrio*,

Imola, *Bellam.* aliique lato calamo recensiti à *Fagnano in cap.* 1. *de offic. Jud. ordin. num.* 30. *& seqq. contra Sotum*, *Sanch. Suar. Gammaram*, *& alios*.

148 Pro cujus assertionis probatione suppono cum *D. Thom. in* 1. *Sent. distinct.* 12. *quæst.* 1. *art.* 3. duobus modis dici posse aliquem habere ab alio jurisdictionem immediatè. Primò immediatione virtutis. Secundò

149 immediatione suppositorum agentium. Primò modo omnis authoritas, quæ est in quolibet Prælato, etiam in Papa, immediatè est à Christo; quià à nullo alio potest talis potestas conferri, nisi per potestatem existentem in Christo, vel ipsi à Christo collatam, sicuti nulla causa secunda potest agere nisi per virtutem causæ primæ, & ab ipsa communicatam, & de hoc modo immediationis nos non loquimur, de illa enim loquitur *Paulus cap.* 13. *ad Romanos* dicens *omnis potestas*

150 *est à Deo*. Immediatione autem suppositorum agentium tunc dicitur aliquis habere immediatè potestatem à Christo, quando inter accipientem potestatem, & ipsum Christum conferentem, nullum aliud suppositum medium intercedit, suscipiens à Christo potestatem, & eam conferens; & in hoc sensu immediationis procedit nostra conclusio, quæ

151 Probatur primò *ex Can. decreto* 2. *quæst.* 6. ubi sic dicitur *Romana Ecclesia vices suas ità aliis largendas impertivit Ecclesiis*, *ut in partem sint vocatæ sollicitudinis non in plenitudinem potestatis*, idemque habetur *in Can. qui se scit eadem caus. & quæst.* Ergò si Ecclesia Romana aliis Ecclesiis vices suas impertitur, eas in partem sollicitudinis vocando, ab illa aliæ Ecclesiæ recipiunt potestatem regiminis, & jurisdictionem. Consonat *Text. in Can. Sacrosancta distinct.* 22. ubi dicitur Romanam Ecclesiam esse Cardinem, super quo

reliquæ

reliquæ Ecclesiæ reguntur, veluti super Cardine vertitur Ostium. *In Can. omnes dicta distinct.* habetur omnes Ecclesias, tam Patriarchales, quàm Primitiales, Metropolitanas, vel Episcopales à Romana Ecclesia fuisse institutas, & in *Can. loquitur Dominus* 24. *quæst.* 1. Ecclesiæ particulares ad Ecclesiam Romanam comparantur, sicuti radii ad solem, rivoli ad fontem, & rami ad radicem.

152 Probatur secundò. Potestas jurisdictionis derivatur ad quamcumque personam illius Principatus ab ipso Principe, ut notum est; sed in Principatu Ecclesiæ supremus Princeps, seu Monarcha est Summus Pontifex *Can. nolite dist.* 11. ergò potestas jurisdictionis ad omnes Prælatos derivatur à Papa.

153 Probatur tertiò. Episcopi recipiunt subditos à Romano Pontifice, ad quem pertinet illis Diœceses assignare, Ecclesias, & subditos præfinire *Can. omnes* 16. *quæst.* 7. *& glos. in cap. sicut unire, de translat. Episc. in verb. pertineant*; ergò ab ipso Romano Pontifice recipiunt immediatè jurisdictionem.

154 Probatur quartò. Si unusquisque Episcopus, eò ipso ac est consecratus, reciperet jurisdictionem, ut necessariò annexam potestati Sacramentali receptæ, sequeretur quod non esset reperibilis ullus Episcopus absque potestate jurisdictionis, sed hoc est falsum in Episcopis titularibus in partibus Infidelium, qui quamvis habeant potestatem Ordinis, non habent illam jurisdictionis, cum Clero, & Populo careant; sicuti nec habent illam alii Episcopi antè expeditas literas Apostolicas suæ promotionis *Extrav. Injunctæ, de elect.* nec habent Episcopi, qui renunciaverunt Episcopatui; ergò &c.

155 Probatur ultimò, & hæc est ratio, qua præ cæteris

ducor. Si jurisdictio Episcopi esset immediatè à Christo, non posset ipsi auferri ab Ecclesia, vel Pontifice, sicuti non potest auferri potestas Sacramentalis, seu Ordinis, quæ durat etiam in Episcopo hæretico, degradato, & deposito, ut certum est apud omnes, sed consequens est falsum; ergo & antecedens. Major est certa, quia potestas Sacramentalis fundatur in ipso carectere Animæ impresso, qui est indelebilis. Minor autem constat, quia ab Episcopo suspenso, excommunicato, Hæretico, vel Schismatico aufertur jurisdictio, juxtà *Text. in Can. omnibus*, *& Can. ait Cœlestinus* 24. *quæst.* 1.

156 Obiicies primò id quod legitur *Act. Apost.* 20. = *Attendite vobis*, *& universo Gregi*, *in quo Spiritus Sanctus vos posuit regere Ecclesiam Dei*.

157 Respondeo Episcopos esse constitutos in particularibus Ecclesiis non immediatè, sed mediante jurisdictione, quæ singulis à Papa tribuitur, sicuti Episcopi, de quibus sermo habetur in objecto loco Actorum Apostolicorum, erant constituti à Spiritu Sancto mediante potestate, quam acceperant ab Apostolis. Ità *Apost. quartò ad Ephes.* dicit Deum quosdam posuisse Apostolos, quosdam Doctores, quosdam Pastores, & tamen non omnes Pastores, aut Doctores ponit Deus immediatè per se, sed per Vicarium suum.

158 Obiicies secundò. Episcopi successerunt Apostolis *Can. in novo dist.* 21. sed Apostoli potestatem jurisdictionis acceperunt immediatè à Christo; ergo etiam Episcopi.

159 Respondeo primò, minores à pluribus negari, apertè asserentibus Apostolos potestatem jurisdictionis non accepisse immediatè à Christo, sed à Divo Petro, qui solùm legitur immediatè à Christo creatus Episco-

Episcopus per illa verba = *Pasce oves meas* = *Text.* est litteralis in *Can. ita Dominus distinct.* 19. & hanc sententiam tuentur *D. Thomas in summa contra gentes quæst.* 77. *Cardinalis Jacobatius de Concil. lib.* 10. *part.* 7. & DD. lato calamo relati ab *Eminentiss. Turrecrem. in dicto cap. ità Dominus ad tertiam per tot.* qui præfatam opinionem solidissimis rationibus comprobat; & ab objectis vindicat.

160 Respondeo secundò *cum eodem Turrecrem. in Can. omnes dist.* 22. *in responsione ad primam*, non esse bonam hanc consequentiam; Christus Dominus in fundatione Ecclesiæ dedit immediatè Apostolis potestatem jurisdictionis; ergo etiam in propagatione Ecclesiæ dedit immediatè eamdem potestatem Episcopis; non enim valet hæc illatio: Iste succedit alicui in aliqua potestate, & jurisdictione; ergo illam immediatè habet ab eo, à quo prædecessor habuit; Multos enim videmus obtinuisse eamdem Dignitatem, vel idem Beneficium, sed aliquos per electionem factam immediatè à Romano Pontifice, alios per collationem Ordinarii, sicuti non licèt hoc modo arguere, prout ibidem advertit laudatus Cardinalis. In creatione Mundi individua specierum omnium facta fuerunt immediatè à Deo; ergo etiam in propagatione Mundi omnia individua fiunt immediatè à Deo, & non mediantibus causis secundis.

161 Urgebis tamen contra. Pontifex quia succedit Petro dicitur accipere immediatè potestatem à Christo Domino; Ergò Episcopi, qui succedunt Apostolis, accipient pariter ab ipso immediatè jurisdictionem.

162 Respondeo disparitatem esse claram; quia potestas à Christo data Petro, fuit data illi utì suo Vicario, & annexa ipsi officio Vicariatus, adeòque semper cum eo du-

eo duratura transit ad quosvis successores in dignitate, absque eo quod ipsi indigeant ulla confirmatione. Privilegium autem concessum Apostolis creandi Episcopos fuit personale, & expiravit cum ipsa dignitate Apostolatus, in qua Episcopi eis non succedunt; hinc est, quod Episcopi indigeant confirmatione Romani Pontificis.

163 Ulteriùs Summus Pontifex est Vicarius generalis Christi per totum Orbem habens amplissimam, & illimitatam jurisdictionem, Vicarius autem generalis non potest constitui nisi immediatè à Domino principali. Episcopi verò cum sint Vicarii particulares in certis locis possunt ab alio immediatè constitui, quam à Domino principali; Ità *Turrecr. loc. cit. num. 3. in responsione ad primam circa med.*

164 Hæc igitur Episcopi potestas fundatur in duabus legibus, una jurisdictionali, altera Diœcesana, inter quas hęc differentia intercedit juxtà veriorem sententiam *Abbat. in cap. dilectus de offic. Jud. ord. num.* 4. *& circa fin. Imol. num. 6. & Jo: Andr. num.* 15. quod ea dicantur spectare ad legem Diœcesanam, à quibus in Jure reperiuntur exempta Monasteria; ea verò, ad quæ etiam Monasteria non exempta obligantur, dicantur pertinere ad legem jurisdictionalem.

165 Primus effectus legis jurisdictionalis est cognitio omnium causarum Ecclesiasticarum ad forum Ecclesiasticum externum pertinentium, quas Episcopus utpotè Judex Ordinarius totius Diœcesis per se, vel per alios cognoscere potest *Text. est in cap. conquerente, de offi. Jud. Ordin. ibique glos. in verbo Jurisdictionem.*

166 Amplia primò ut Conclusio procedat, etiam quoad cognitionem causarum criminalium, quarum cognitio est Episcopi *per Text. in cap. perniciosam, & cap.*

licèt.

167 *licèt in princ. tit. mox citato*; Etiamsi agatur contra Laicos, dummodò delicta, pro quorum punitione agitur, sint merè Ecclesiastica, ut Hæresis, vel mixti fori, ut Adulterium, in quibus datur præventio inter Judicem Laicum, & Ecclesiasticum *Innoc. in dicto cap.* 1. *in princ. Abb. num.* 3. *Imol. num.* 5. *& alii* scribentes communitèr.

168 Amplia secundò ut teneantur Episcopi ex officio pravos subditorum mores corrigere, ne, ut ait *Text. in cap. Irrefragabili tit. dicto, sanguis eorum de manibus suis requiratur*.

169 Amplia tertiò, ut contra Clericos indistinctè, & etiam contra Laicos in criminibus, de quibus diximus in primà ampliatione, procedere possit, etiam ad pœnam verberum, carceris, & triremium *cap. cum Episcopus de offic. Jud. ordin. in sexto*; non autem ad pœnam mutilationis, vel mortis, cum Ecclesiasticus Judex à sanguinis effusione debeat abhorrere *cap. in Archiepiscopatu, de raptoribus*.

170 Amplià quartò, ut etiam in Regulares non exemptos procedere possit in criminibus gravioribus, & iis, quæ pertinent ad Ecclesiasticam disciplinam. *Innoc. in cap. quanto de offic. Jud. ordin. num.*2. *ibique Abb. num.*5. *Sylvest. in Sum. v. obedientia quæst.*8. *Sanchez lib.* 6. *moral. cap. primò num.* 12. *&* 13.

171 Adde quod in Causis etiam Civilibus Religiosus extrà Claustra degens sit coram Episcopo convenien-
172 dus juxta *Abb. loc. cit. num.* 6. aliàs enim exempti coram illo regularitèr conveniri nequeunt pro causis hujusmodi, nisi tamen sint causæ mercedum, & miserabilium personarum; ad mentem *Tridentini sess.* 7. *cap.* 3. *&* c. 14. *de refor. & sess.* 25. *cap.* 4. *de Regular.*

173 Jam verò alter legis jurisdictionalis effectus est, quod Episco-

Episcopus spectato Jure communi possit, quem voluerit instituere in Beneficiis vacantibus suæ Diœcesis, & ità institutum ex legitima causa deponere, de quo effectu agit *Text. in cap. conquerente de offic. jud. ord.* & nos agemus in materia *de beneficiis*, in hac Parte.

174 Tertiùs effectus stat in potestate ferendi censuras, & ab iis absolvendi Diœcesanos *juxtà dictum c. conquerente*, sed de his quoque differam, cum latè *de censuris* instituam tractationem particularem, in fine mearum Institutionum.

175 Quartùs effectus est potestas dispensandi. Quoad illam igitur quæres an Episcopus possit dispensare in universalibus Constitutionibus Sacrorum Canonum, seu Pontificum, & in decretis Conciliorum generalium.

176 Respondeo id ipsi non licere nisi in casibus à Jure expressis. Ità *Innoc. in cap. dilectus de temp. ordinat. num. 2. Abb. num. 3.* & alii Canonistæ communiter latè *Sperell. dec. 110. per tot.* Et quod non possit dispensare in Constitutionibus Sacrorum Canonum probat *Text. in dicto c. dilectus* ubi reprobatur collatio plurium sacrorum Ordinum facta eadem die ab Episcopo de dispensatione Archiepiscopi, eò quod hujusmodi dispensatio ipsi à Jure non reperiatur permissa, & consequentèr prohibita censeri debeat. *Et in cap. penult. & ult., de fil. Presbyt.* reprobantur dispensationes factæ contra Juris dispositionem à Judice Papa inferiore.

177 Quod autem neque in decretis Conciliorum generalium queat dispensare Episcopus asserit *glos. communitèr recepta in cap. cum dilectus de elect. in verb. ætate*, & clarus est text. *in Extrav. sancta §. Quidam autem, de Relig. domib. ibique glos. in verb. Concilii genera-*

178 *neralis*. Ratio autem horum omnium est, quia inferior non potest tollere legem Superioris quidquam ei detrahendo, vel illi dispensando, prout habetur *in cap. cum inferior. de majorit. & obed. & in Can. Inferior.*
179 *distinct.* 21. Confirmaturque ratio; quia dispensatio est actus jurisdictionis, atqui inferior non habet jurisdictionem in legem superioris, nec in personas illi subjectas; ergo &c.

180 Nec obstat id Episcopum ex Jure Divino posse in sua Diœcesi, quod Papa in tota Ecclesia, iis tantùm exceptis, quæ Pontifex sibi expresè reservavit.

181 Siquidèm negatur suppositum, inquo fundatur assertum; supponit enìm Jurisdictionem Episcopi emanare immediatè ab ipso Jure Divino; nos autem satìs superque supra ostendimus illam immediatè derivari à Romano Pontifice; Ex quo sequitur, quod illam tantùm jurisdictionis partèm habeant Episcopi, quæ
182 illis à Romano Pontifice concessa fuit. Hinc multa licent Papæ, quæ expedire nequit Episcopus, puta dispensare in Matrimonio rato, in Voto solemni paupertatis, & castitatis, approbare Religiones, canonizare Sanctos &c. ut videre est fusè apud *Fagnan. in d. c. dilectus de temp. ordinat. ferè per totum*.

183 Sicuti nil relevat si sic insurgas. Legislator quando non reservavit sibi facultatem absolvendi delinquentes contra suam legem, censetur aliis hanc facultatem concessisse *per Text. in cap. nuper de sent. excom.* ergò à pari per hoc, quod non reservet sibi dispensationem legis censetur ipsam aliis concedere.

184 Respondeo enìm, concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est evidens, quia *d. capitulum nuper* loquitur de absolutione ab excommunicatione, quæ facilius conceditur, cum fiat secundùm Jus,

 quod

quod non vult ut aliquis in excomunicatione decedat *per Text. in cap. cum illorum de sent. excom.* adeòque cum sit favorabilis,& ordinetur ad bonum Animę eò ipso quod non sit reservata, vel prohibita, censetur concessa. At verò dispensatio est odiosa, quia est contra Jus, & legem Superioris, cui derogat, adeòque meritò censetur prohibita, si non reperiatur permissa.

185 Casus igitur à Jure permissi, in quibus Episcopus potest dispensare Sanctionibus Canonum, & Conciliorum generalium, sunt primò quando in Canone, vel Concilio expressè dicitur posse illis dispensari,
186 etiàmsi dispensatio expresè non reservetur; tunc enim dispensatio præsumitur concessa alteri à Papa, adeòque Episcopo, ne verba sint superflua, cum per se constet Papam posse in tali lege dispensare, cujus autho-
187 ritas semper censetur excepta; Ulteriùs ubi Jus dicit posse dispensari Jus servatur si dispensetur: ergò Episcopus, qui est Custos, & Executor Canonum, si dispenset facit secundùm Jus. Ità *Innoc. loco cit. Abbas in dicto c. at si Clerici loc. cit. Fagnan. in dicto cap. dilectus num* 17.

188 Secundò. Ex causa necessitatis urgentis, vel evidentis utilitatis de novo emergentis, & priùs verosimilitèr incognitæ.

189 Tertiò. Quandò periculum est in mora, & Summus Pontifex adiri non potest sine notabili incommodo, tunc enim præsumitur ex interpretativa ejus voluntate concessa Episcopis facultas dispensandi. Ita *Abbas loc. cit. num* 9.

190 Quartò in casibus frequèntibus, puta votis, & juramentis Pontifici non reservatis, quia non est verosimile Papam voluisse, quod in his quotidianis casibus

semper

ſemper Sedes Apoſtolica conſuleretur, cum ea ſemper peti nequeat; & hæc diſpenſandi poteſtas ad ordinarium regimen ſit neceſſaria. Ità *Navar. in man. cap.* 21. *num.* 21.

191 Ultimò poteſt Epiſcopus diſpenſare contrà Canones, vel Concilium generale, ſi adſit conſuetudo legitimè præſcripta.

192 Poteſt ulteriùs Epiſcopus diſpenſare in legibus à ſe conditis, cum illius ſit ſolvere, cujus fuit ligare; In inhabilitatibus ad obtinenda beneficia, & officia Eccleſiaſtica, in impedimentis matrimonii merè impedientibus non autem dirimentibus, & in certis irregularitatibus, de quibus alibi. Interim conſule *Barboſ. lib.* 1. *Jur. Eccleſ. cap.* 11. *num.* 113. *& pluribus ſeqq.*

193 Quintus effectus poteſtatis juriſdictionalis Epiſcopi eſt ſacra omnia conferre, Sacramenta ſcilicet, præcipuè Confirmationis, & Ordinis, Altaria, Eccleſias & Virgines conſecrare *ad Text. in cap. conquerente de offic. Jud. ordin.*

194 Adverte. Quoad collationem Sacramentorum, quorum collatio non eſt preciſè propria Ordinis tantùm Epiſcopalis, Epiſcopum concurrere cumulativè cum Parochis ſuæ Diœceſis *ad Text. in c.* 2. *& ult. de offic. Archipresbyt.*

193 Sextus effectus eſt prædicare verbum Dei; eoque Animas ſibi ſubditas paſcere *ad Text. in cap. inter cætera de offic. Jud. ordin.* & ſi habeat legitimum impedimentum in munus perſonis idoneis exequendum committere ad mentem *Trid. ſeſſ.* 23. *& ſeſſ.* 24. *c.* 4. *de reformat.*

196 Adverte tamen hoc munus competere Parochis in ſuis Eccleſiis cumulativè cum Epiſcopo, hoc eſt eo

non excluso *Abb. in dicto cap. inter cætera num.* 1.
197 Adverte ulteriùs Religiosos, non nisi ex privilegio Summi Pontificis concionari posse in suis Ecclesiis si in idoneos fuerint approbati à superioribus suarum Religionum,& se Episcopo præsentantes ab eo benedictionem obtinuerint, juxta *Trid. sess.* 5. *cap.* 2. *de reformat.* In aliis verò Ecclesiis, non nisi de licentia Episcopi, vel Parochi, aut Rectoris illius Ecclesiæ concionari possunt, juxtà *Clem.*2. §.*Nos autem, de sepult.* Censet tamen *Ugolin. de offic. Episcopi c.* 42. §. *secundò num.* 3. Parochum hanc facultatem posse semel, vel bis tantùm concedere in sua Ecclesia personæ aliàs ab Episcopo ad concionandum approbatæ.
198 Septimus effectus est, concessio indulgentiarum, quas in dedicationibus Ecclesiarum potest Episcopus concedere unius anni tantùm, & in Anniversario
199 Dedicationis, ac alio tempore, 40. dierum; nunquam verò plenarias nisi ex speciali delegatione Romani Pontificis. Vide *Text. in cap. cum ex eo* §. *ad hæc de pænit. & remiss. & Barbos. de offic. Episc. alleg.* 88. *num.* 7. *&* 8.
200 Octavus effectus est, visitatio annua omnium Ecclesiarum, Monasteriorum, Beneficiorum, & Locorum piorum, quam singulis annis debet facere Episcopus, vel si ob Diœcesis latitudinem quolibet anno illam exequi nequeat, biennio saltem eam debet absolvere juxtà *Text. in dicto cap. conquerente, & Trid. sess.* 24. *c* 3. *de reform.* Eam tamen si legitimè impeditus fuerit per suum Vicarium generalem, vel alios Presbyteros, aut Diaconos quos idoneos existimaverit peragere potest juxta *Text. in Can. Episcopum* 10. *quest.* 1.
201 Scopus principalis hujus visitationis est, bonos mores tueri, pravis expulsis, & Orthodoxam doctrinam

nam vividiorem reddere; ideòque inquirere debet an Missarum solemnia, & Sacramenta ritè celebrentur; an Ecclesiæ reparatione indigeant, & eorum redditus conserventur nec ne; *Can. decrevimus*, *&* *duobus seqq.* 10. *quæst.* 1.

202 Verum tamen est, quod Ecclesię Regularium exemptorum, & Religiosi ipsi exempti à Prelatis eorum Regularibus, vel ipsorum Delegatis visitari unicè possint; Episcopus enim in exemptos non exercere jurisdictionem ordinariam, adeoq; neque illam habet in eorum Ecclesias, cum res sint accessoriæ ad personas, & per consequens sequatur naturam suorum principalium. Consule *Trid. sess.* 25. *c.* 1. *&* *c.* 8. *de Regular.*

203 Nec obstat, quod etiam tales Ecclesiæ sitæ sint intra Diœcesim.

204 Facilis enim est responsio, quod locus exemptus, quoad jurisdictionem exercendam ab Episcopo, æquiparetur loco existenti extrà Diœcesim, ad mentem *Rodriq. tom.* 1. *quæst. regular. quæst* 36. *art.* 3.

205 Neque etiam obstat *Trid. sess.* 7. *cap.* 8. *de reform.* generatìm præcipiens, quod locorum Ordinarii Ecclesias quomodolibet exemptas visitare teneantur.

206 Respondetur enim, vel eo nomine Ordinariorum venire Prelatos Ordinum regularium, qui habent jus visitandi privativum, & jurisdictionem ordinariam in Ecclesiis proprii ordinis exemptis, *juxtà idem Trid. sess.* 25 *c.* 20. *de Regular.* vel ibi Concilium loqui solùm de Ecclesiis Sæcularibus exemptis, quæ privilegium prætendunt, ne visitari debeant, & quarum privilegia ibi revocat, non verò loqui de Regularibus exemptis; aliàs Concilium sibi met ipsi contrariaretur cum *in dictâ sess.* 25. *cap.* 20. hujusmodi privilegia non solùm non revocet, quin potius expresśè confirmet

respe-

respectu Ecclesiarum Regularium exemeptarum.

207 Deveniendo jam ad legem Diœcesanam Episcopi, dico eam consistere in pluribus exactionibus, quas à suis subditis petere potest Episcopus.

208 Harum prima dicitur *Portio canonica*, seu *mortuariorum*, *aut funerum*; portio scilicèt detrahenda ab Episcopo ex iis, quæ Testator pro salute Animæ suæ legavit, vel quomodòcumque reliquit in ultima voluntate, vel donatione causa mortis Ecclesiis, Monasteriis, vel aliis piis Locis sitis intrà Diœcesim *Clem. dudum §. Verum, & ibi glos. de sepult. Gemin. cons.* 46. *Federic. de Sen. cons.* 4. *nu.* 4. *Barbos. de offic. Paroch. cap.* 25. *num.* 48 *Panimoll. tom.* 1. *dec.* 5. *annot.* 4. *num.* 35.

209 Dixi *sitis intra Diœcesim*, ut hac verborum generalitate comprehenderem etiam Ecclesias exemptas;

210 tùm quià LL. loquuntur indistinctè de omnibus Ecclesiis sitis intrà Diœcesim, ut videre est *ex c. officii de testam.*, *& Can. Constitutum ibique glos. in v. tertium*

211 16. *quæst.* 1. Tum etiam quia Pontifex concedendo exemptiones non censetur derogare Juribus Episcopalibus; nunquam enim per suum privilegium derogare præsumitur juri alieno, nisi id exprimat *cap. dudum de decim. in fine*, *ibique glos. in verbo nullatenus Chokier de jurisd. in exempt. part.* 4. *quæst.* 6. *num.* 5. *Tamburin. de Jur. Abbat. tom.* 1. *disput.* 16. *quæst.* 13. *in fin. Barb. de offic. & potest. Episcopi part.* 3. *alleg.* 86. *num.* 10. *& seqq.*

212 Hinc fit, quod hæc Canonica portio debeatur Episcopo etiam invito Testatore, quia Testator, utpotè persona privata, nequit in suo Testamento derogare Juri publico hanc portionem Episcopo concedenti, *ad Textum in l. Jus publicum ff. de pact. & Abb. in*

cap.

cap. requisisti, de testam. num. 21. *&* 22. Concessit enim Jus hanc portionem Episcopo, tanquàm Capiti, & Pastori ordinario Ecclesiarum, quibus aliquid post mortem relinquitur.

213 Portio hæc Canonica varia est, juxtà variam locorum consuetudinem; modò enim est medietas relictorum *juxtà glos. in d. cap. requisisti in verbo quartum*, modo est pars tertia *juxtà Abb. ibidem num.* 15. *&* modò ac frequentiùs est pars quarta *juxtà Text. in cap. conquerente de offic. Jud. ordin. & in Can. Vulterana, ac pluribus seqq.* 12. *quæst.* 2. Per contrariam verò

214 consuetudinem cum titulo prescriptam spatio 40. Annorum portio hæc in pluribus locis est abolita *cap. de quarta de præscript.* vel per præscriptionem temporis

215 immemorabilis sine titulo. Decernit tamen *Tridentina Synodus sess.* 25. *cap.* 13. *de reform.* quod in locis ubi ante annos 40. portio hæc solvi solita fuerat, etiam posthàc eodem modo solvi debeat, non obstantibus quibuscumque privilegiis.

216 Non debetur hæc portio, seu quarta ex relictis pro ornamentis, fabrica, vel luminaribus Ecclesiæ, vel aliis ad perpetuum Divinum cultum pertinentibus, per *Text. in cap. fin. de Testam.*, *& in cap. ex parte, de verb. & rer. signif.* idque in favorem Religionis, & reverentiam Divini cultus juxtà *glos. fin. in dicta cap. fin. Valasc. consult.* 105. *num.* 13. *Lap. de Canonic. port. par.* 2. *n.* 24. *Azor. Instit. Moral. cap.* 12. *quæst.* 7. *cas.* 2. 4. *&* 5. *Barb. de offic. Paroch. cap.* 25. *n.* 47. *&* 50. *& de offic. Episc. alleg.* 86. *num.* 23. *Gavant. in manual. Episc. verbo quarta Episcopalis num.* 7. *&* 8. *Rot. coram Seraphin. dec.* 726. *num.* 4.

217 Sicuti neque detrahi potest dicta quarta ex legato facto pro maritandis, vel dotandis Puellis, ut declaravit

vit *Sac. Cong. Episcoporum apud Gavant. loco cit. n.* 5.
218 *Barbos. de offic. Episc. loc. cit. num.* 27. aut facto pauperibus in genere, quia tunc censetur relictum personis non autem piis locis; ex relictis autem personis hæc quarta non detrahitur *Gavant. in Man. Episc. verbo Quarta Episcopalis num.* 6. *Sylv. verbo Cano-*
219 *nica portio quæst.* 6. *Barbos. loco cit. nu.* 27. Secus autem si relictum esset pauperibus certi loci, quia in tali casu legatum censetur factum intuitu illius loci, adeoque loco censetur relictum, juxtà *Barb. loco cit. num.* 21. *& seqq. & Ubal. de Canonic. Episcopal. cap.* 5. *num.* 10. *&* 11. *Tiraquell. de pia caus. privil.* 28. *Rota coram Seraphin. decis.* 26. *num.* 1.

220 Notandum tamen hìc diligenter id, de quo agitur *in cap. requisisti, de testam.* Testatorem scilicèt aliquid legantem Episcopo, vel Ecclesiæ posse primò ità dicere, *Relinquo istud Episcopo*; & in hoc Casu si relictum fuerit Episcopo aliquid ab ejus consanguineo, vel valdè familiari, censetur contemplata persona, & non dignitas, ita ut ex illo legato nihil Ecclesię Cathedrali acquiri debeat, juxtà *Abb. in d. cap. requisisti num.* 8. *&* 24. *ac Mascard. de probat. concl.* 967. *n.* 6. *Surd. de alimentis tit.* 5. *quæst.* 6. *n.* 8. *&* 9. *Alciat. de præsumpt. præsumpt.* 28. *n.* 1. *Panimoll. tom.* 2. *dec.* 98. *adnotat.* 2. *n.* 18. Sin autem legatum relictum fuerit ab extraneo, præsumitur relictum intuitu Ecclesiæ, & non personæ, & ideò ex hujusmodi legato Ecclesia Cathedralis, quæ est propria Episcopi sponsa, portionem suam Canonicam acquiret, non secus, ac illam obtinere debet Episcopus ex relictis aliis Ecclesiis suæ Diœcesis, juxtà *Glos. in dicto cap. requisisti in verbo nec est, ibique Abbat. num.* 23. *& Mascard. loco cit. num.* 2. *&* 4.

Secun-

221 Secundò si Testator dixerit conjunctim *relinquo istud Ecclesiæ, & Episcopo*, id quod ita relictum fuit dividi debet inter Episcopum, & Eclesiam, hoc est inter sponsum, & sponsam.

222 Tertiò si separatim dixerit *relinquo hoc Episcopo, & illud Ecclesiæ*, pariter decens est, ut ità relictorum fiat divisio inter Episcopum,& Ecclesiam, nisi tamen unusquisque sit dispositione Testatoris contentus, juxtà *Text. in dicto cap. requisisti*.

223 Notandum secundò, quod si Canonicis capitularibus aliquid seorsim, & personalitèr relinquatur, ex illo nihil Episcopus consequi debeat, cum censeatur
224 legatum factum intuitu personæ;sin autem conjunctim relictum fuerit, cum tunc censeatur relictum intuitu Ecclesiæ, ex tali legato suam portionem consequetur Episcopus ob unionem capitis cum corpore *glos. cit. in dicto cap. requisisti*, & in illud *Imol. num.* 30. *juncta glos. in Can. Pontifex* 12. *quæst.* 3. *verbo ab Extraneis*;
225 Et ratio est, quia juxtà doctrinam *Bartol. in l.* 2. *ff. de reb. dub. nu.* 3. legatum relictum Civibus conjunctim sumptis, Civitati, seu ipsi Civium Communitati reli-
226 ctum videtur. E contra verò si aliquid, vel à propinquo, vel ab extraneo relictum fuerit alicui Clerico, vel Beneficiario nullam prælationem, vel Ecclesiæ administrationem habenti; legatum nunquam censeri poterit factum intuitu Ecclesiæ, sed tantùm personæ; adeoque ex tali relicto, quousque vivet Beneficiatus, nec Ecclesia, nec Episcopus quidquid assequi poterunt, *dicto cap. requisisti in fin. ibique Abb. num.* 13. *& Mascard. loc. cit. num.* 12. *&* 13. *Mantic. de conject. ultim. volunt. lib.* 8. *tit.* 6. *num.* 23. *Panimoll. dicta decis.* 98. *adnot.* 2. *num.* 6.

227 Notandum tertiò, quid dici debeat in casu, quo

legans Ecclesiis reliquerit Episcopo portionem suam; An Episcopus ultrà illam, etiam portionē Canonicam petere possit ex dictis legatis.

Quæsito satisfacit *Text. in cap. Officii de Testa m.*
228 duos casus distinguens. Primo enim si Testator relinquens portionem Episcopo mandavit, ut ea deberet esse contentus, eamque Episcopus acceptavit, quidquam aliud petere nequit, quia per talem acceptatio-
229 nem videtur juri suo renunciasse. Secundò si Testator legavit absolutè Episcopo aliquam portionem, nil aliud addendo, eamque Episcopus acceptavit, potest etiam petere quartam Canonicam ex legatis à Testatore relictis, quia per talem acceptationem non censetur quartæ renunciasse, cum renunciatio sit stricti Juris, & sine necessitate admitti non possit. Præsertim si constaret minimum quid Testatorem relinquisse Episcopo animo illud fraudandi quarta sibi debita, quia dolus, & fraus nemini debet patrocinari. Ita *DD. in dicto cap. Officii, Petr. Barb. in l. si cum dotem §. si Pater n. 31. ff. sol. matr. & August. Barb. part. 3. de offic. & potest. Episc. dicta alleg. 86. num. 30. & 31.*

230 Nec obstat *Text. in l. cum dotem §. Si pater ff. sol. matrim.* ubi Pater debens dotare filiam, si aliquid ei legaverit in testamento, censetur id reliquisse animo compensandi dotem, ex quo Textu inferunt DD. principium illud, quod quando debitor reliquit aliquid suo Creditori, videtur in dubio relinquere animo compensandi.

231 Non inquam, hoc officit; Quia Testator non est debitor Episcopi, nec voluntarius, nec necessarius, portio enim canonica, quæ Episcopo competit, non debetur illi à Testatore, sed ab Ecclesiis, adeoque nisi hoc exprimat, non censetur relinquere aliquid

Episco-

Episcopo animo compensandi. Ità *Abb. in dicto cap.*
232 *officii num.* 4. Confirmatur paritate, quia *Text. in l. unicò §. Primum itaque, C. de rei uxor. act.* definit, quod si maritus aliquid absolutè uxori suæ legaverit in testamento, non censeatur legasse animo compensandi dotem soluto matrimonio uxori restituendam, sed quod, & dotem, & legatum uxor petere possit, nisi oppositum maritus expresserit.

233 Jam autem secunda exactio, seu tributum Ecclesiasticum, quod vigore Legis Diœcesanæ exigere potest Episcopus, dicitur *Synodaticum*, seu *Cathedraticum*, vigore cujus habet jus exigendi quovis Anno certam pecuniam à singulis Ecclesiis.

234 Dicitur *Synodaticum*, eò quia antiquitùs præstari consueverit ab omnibus, qui vocabantur ad Synodum Diœcesanam quovis anno celebrandam; *ad Text. in cap. olim de censibus, Lotter. de re benef. lib.* 1. *quæst.* 21. *num.* 54. *Grat. discept.* 620. *num.* 1. *tom.* 4.

235 Dicitur *Cathedraticum*, eò quià solvatur Episcopo in honorem Cathedræ Episcopalis, juxtà *Text. in cap. conquerente, de offic. Jud. ordin. cap. pastoralis de donat.* De Jure non potest Episcopus titulo Synodatici exigere plusquam duos solidos, sive aureos à singulis Ecclesiis, *glos. in dicto cap. conquerente in verb. duos solidos, Zerol. in prax. Episc. verb. Jus Cathedraticum §.* 5. *Ricc. var. resol. resol.* 182. *num.* 1. *in fine. Piasec. in Prax. novi Episc. parte* 2. *cap.* 2. *num.*
236 20. Cæterum nunc attendi debet propria praxis cujusvis Ecclesiæ, & Episcopatus, & juxtà illam exactio regulanda, juxtà *Barbos. de offic. Episc alleg.* 86.
237 *nu.* 44. Nec ullo tempore præscribi potest contra Cathedraticum, ut in totum non solvatur, quia solvi debet in specimen subjectionis, & honorem Dignita-

tis Episcopalis *Glos.in cap. pastoralis verb. Cathedraticum de donat. ibique Abb. n. 7. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 20. num. 5. & sequentibus Gratian. discept. 620. à num. 5. ibique Carol. Ant. de Luca, & Piasec. loc. cit.*

238. Tertia exactio, quæ inter Jura Episcopalia numeratur est *quarta decimationum*; quarta scilicet pars decimarum, quæ Ecclesiis Parochialibus tantùm dari solent, debeturque Episcopo propter universalem curam quam habet in Ecclesiis sibi subjectis; *ad Text. in cap. conquerente, de offic. Jud. ordin. & in cap. de quarta, de præscript. & cap. cum olim de censib. ibique glos. in verb. quarta.*

239 Verumtamen est, quod cum in pluribus locis Episcopi habeant aliundè sufficientem sustentationem, hæc quarta in pluribus locis per desuetudinem abolita sit ad eam abolendam sufficit præscriptio 40. Annorum cum titulo, *juxta Text. in dicto capit. de quarta.*

240 Quarta exactio est *Subsidium Charitativum*; sciendum siquidem quod si manifesta, & rationabilis causa superveniat, puta, quià opus sit Episcopo multis sumptibus pro solutione debitorum contractorum in Ecclesiæ utilitatem, negotiis Diœcesis pertractandis, pro ipsius profectione ad limina Apostolorum visitanda, vel ad Concilium generale, aut Provinciale, pro defensione Ecclesiæ adversus Hostes &c. possit in his, vel similibus casibus exigere Episcopus à suis subditis aliquod subsidium, illudq; moderatum cum charitate ab eis postulare, & non nisi cum consensu sui Capituli, per *Text. in cap. cum Apostolus §. Prohibemus de cens. & cap. ex parte de cens. Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg. 87. num. 7. & 9. Bellenc. de charit. subsid. quæst.* 14. *per*

14. *per tot. Vemrigl. prax. Episc. tom. 2. tit. de subsid.*
241 *charit. adnot. 25. §. 1. num. 2.* Et hæc est ratio cur hæc exactio appelletur *subsidium charitativum*.
242 Potest autem illud petere ab Ecclesiis sibi subjectis & à Clericis beneficiatis, habito respectu ad redditus
243 Beneficiorum non enim debet solvi à Laicis, vel ex bonis patrimonialibus Clericorum, cum sit onus mixtum, annexum, scilicet personis in ordine ad Ecclesias, & Beneficia, ex quibus redditus percipiunt; *Ad Textum in dicto cap. conquerente, & in Can. quia cognovimus* 10. *quæst.* 3. *& Barbos. dicta alleg. numero* 48. *& de Jur. Eccles. cap.* 21. *num* 35. *in fine, Azor. parte* 2. *Instit. moral. lib.* 9. *cap.* 14. *quæst.* 6. *vers. insuper, Bellenc. loco cit. quæst.* 31. *& Antonell. de Jur.*
244 *& oner. Cleric. lib.* 2. *par.* 6. *cap.* 17. *num.* 48. Nec exigi potest à Cardinalibus pro Beneficiis, quæ possident
245 *Antonell. loco cit. nu.* 60. Neque potest exigi hoc subsidium à Beneficiatis, qui vel nullos fructus ex Beneficiis percipiant, vel vix eorum sustentationi sufficientes *Antonell. loc. cit. num.* 49. *& pluribus seqq.*
246 Hoc idem Jus tale subsidium exigendi in præfatis casibus competit etiam Capitulo Cathedrali Sede vacante; Archiepiscopis, Primatibus, Patriarchis, Cardinalibus in Ecclesiis suorum Titulorum, Legatis à latere in suis Provinciis, & Præpositis Generalibus, quoad Religiosos sibi subjectos *d. cap. cum Apostolus §. Prohibemus. Joan. Monach. in cap. de majorit. & obed. Bellen. loc. cit. quæst.* 3. *Tambur. de Jur. Abbat. tom.* 3. *disp.* 10. *quæst.* 2. *n.* 2. *Gramm. decis.* 88. *sub n.* 10.
247 Hoc autem subsidium exigi debet ab Episcopo juxtà taxam positam in *Extrav. Vas Electionis de cens.* itaut Episcopus non exigat plus pecuniæ à qualibet Ecclesia, quam exigeret nomine procurationis ratione vi-

248 ne visitationis *Bellenc. loc. cit. num.* 14. Nisi tamen urgens, vel magna necessitas concurreret, quia tunc excedere posset in exigendo dictam taxam *Barbos. d. part.* 3. *alleg.* 87. *num.* 37. *& seq. Antonell. loc. cit. num.* 84. *in fine*.

249 Quinta; Exactio est *procurationum*, quæ solvendæ sunt Episcopo tempore visitationis *cap. procurationes*
250 *de cens.* illæ enim solvi debent ab iis, qui visitantur in meris victualibus, scilicet cibo, & potu honesto, ac sufficiente pro ipso Visitatore, ejusque moderato comitatu, ac pabulo pro Equis, ac jumentis, quibus utitur, in quibus victualibus suppeditandis spectandæ sunt facultas subditorum, consuetudo Patriæ, & Provinciæ, ac Visitatoris conditio *ad Text. in d. cap. procurationes, & cap. cum nuper, & cap. cum Apostolus in princ. & cap. sopitæ de cens.* & novissimè *Trid.*
251 *sess.* 24. *cap.* 3. *de reform.* Ratio autem hujus exactionis est labor, qui impenditur ab Episcopo in visitatione, ratione cujus congruum est, ut ipse seminans spiritualia metat temporalia, cum nemo cogatur suis stipendiis militare juxtà *Apostolum prima ad Corinthios cap.* 9.

252 Exceptis tamen procurationibus, nullam aliam pecuniam, vel munus, sub quovis prætextu, nec Visitator, nec ejus familia accipere potest, ne sua videatur quærere, sed quæ sunt Christi ad *Text. in cap. Romana §. Procurationes de cens. in* 6. *& Triden. loc. cit. Marant contr. part.*4. *respons.* 4. *per tot. Pax Jordan. elucubrat. tom.* 2. *lib.* 1. *tit.* 18. *ferè per tot. Rosa de Residen. Episc. cap.* 4. *sect.* 6. *num.* 61. *& pluribus seqq. Surd. de alim. tit.* 1. *quæst.* 64. *& tit.*4. *quæst.*22. *Barbos. de appellat. verb. signif. appellat.*270. *n.* 3. *&* 4.

253 Adverte tamen, quod si Episcopus à visitatione ad

Do-

Domum propriam mox redire possit, puta quia visitet Clerum Civitatis, in qua est sita Sedes Episcopalis, non possit in hoc casu exigere victualia procurationum; *Tridentinum enim loc. cit.* ait quod illa *pro temporis tantùm necessitate, & non ultra erunt ministranda*. Ità *Barbos. de offic. Episcop. alleg. 73. num. 46.* & plures quoad hanc rem responsiones Sacræ Congregationis Concilii refert *Piasecius in prax. Episcoporum part. 2. cap. 3. art. 8. num. 15. Genuens. in prax. cap. 19. tom. 2. per tot. & Ventrigl. in prax. tit. de visitat. adnot. 24. §. 2. num. 9. Antonell. loc. cit. num. 66.* Sicuti ne-
254 que procurationes petere potest Episcopus cum Diœcesim obit, ut Sacramentum Confirmationis minestret, prout ab eadem Sac. Congregatione Concilii decisum refert *Antonell. loc. cit. num. 73.*

255 Adverte ulteriùs hujusmodi procurationes non esse solvendas Episcopo, si per alium visitet Diœcesim, sed esse solvendas illi, qui Diœcesim visitat, cum illi debeantur, ut stipendium laboris præstiti in visitatione; *cap. si Episcopus de offic. Jud. ordin. in 6. & glos. in cap. procurationes de cens. in verb. personaliter ibique Abb. num. 5. in fine.*

256 Adverte tertiò hoc jus exigendi procurationes posse competere aliis ab Episcopo, putà Archiepiscopis, Legatis, & Nunciis Sedis Apostolicæ transeuntibus etiam per loca, in quibus non sunt Nuncii, neque Legati, *cap. cum instantia §. Sane, & cap. cum nuper de cens. ibique glos. in v. requisitus, Abb. num. 2. & Antonell. loc. cit. num. 62. in princip. & 68. in fine.* Id-
257 que non principaliter ratione visitationis, sed quia subire debent alia munera, & onera in Sedis Apostolicæ utilitatem, *cap. 2. de leg. in 6. & Abb. loc. cit.*
258 *nu. 5.* Sicuti etiam potest jus exigendi procurationes compe-

competere ratione consuetudinis præscriptæ *cap. cum*
259 *venerabilis in fine, de cens.* ratione pacti appositi in fundatione *cap. quanto de cens.* & ratione privilegii,
260 *glos. in cap. procurationes de cens. v. visitationis.*
261 Adverte quartò præscribi posse contra solutionem procurationum vigore consuetudinis contrariæ ad mentem *Trident. d. sess. 24. cap. 3. de reform. Ventrigl.*
262 *de visitat. adnot. 24. §. Secundo num. 12. in fin.* quæ tamen consuetudo debet esse generalis in illo loco, vel Provincia, teste *Fagnan. in cap. Venerabili de cens. num. 25. & tribus seqq.* aliàs enim servari debet antiqua Juris dispositio, prohibens quamcumque præscriptionem etiam immemorabilem adversùs procurationes *in cap. cum instantia de cens. cap. accedens, & cap cum officii de præscript.* Et ratio est, quia cùm procurationes
263 sint annexę visitationi, sicuti contra jus visitandi nunquam præscribi potest, itá nec contra solutionem procurationum, cum de connexis eadem sit ratio.
264 Adverte quintò à solutionibus omnium huc usque recensitarum exactionum, & Jurium Episcopalium immunia esse Monasteria, & loca Regularium; Quia hæ contributiones exiguntur ab Episcopo vigore Legis Dioecesane, à quà Regulares sunt exempti in favorem Religionis *cap. dilectus de cens. ibique glos. in verb. de lege Can. 1. 10. quæst. 1. & Can. inter cætera 10. quæst. 3 ibique glos. in verb. solutiones, Can. cum pro utilitate 16. quæst. 1. & Can. quam sit, in fine, ibique glos. in*
265 *verb. juribus 18. qu. 2.* Nisi tamen Monasteriis fuissent incorporatæ Parochiæ Sæculares, vel Capellæ, quæ exemptæ non essent à solutione collectarũ, tunc enim ratione illarũ collectas solvere deberent, nisi tales Ecclesię unitę, omninò tam in spiritualibus, quam temporalibus essent subjectę Ecclesiæ exemptæ *Can. sanè 16. quæst. 2.*

quæst. 2. *glof. fin. in dicto cap. dilectus* , *&* *Abb. in cap. conquerente de offic. Jud. ordin. not.* 2. & afferens declarationem Congregationis Concilii *Antonell. loc. cit.*
266 *num.* 78. Et ratio eſt, quia unio nunquam præſumitur facta cum præjudicio Jurium Epiſcopalium. Conſule *Clem.* 1. *&* 2. *de cenſ. & Barboſ. de offic. Epiſc. allegat.* 87.
267 *nu.* 45. *& duobus ſeqq. pluresque apud illum*; Sicuti etiam à ſolutione procurationum Legatis Papæ facienda exempti non liberantur *gloſ. in Clem.* 1. *de cenſ. in v. exemptione, & Barboſ. lib.* 1. *Jur. Eccleſ. cap.* 22. *n.* 27.
268 Adverte ſextò ab Oratoriis privatis non poſſe Epiſcopum exigere procurationes *Text. eſt expreſſ. in cap. fin. de cenſ. ibique gloſ. & DD. Antonell. loc. cit.*
269 *num.* 70. Sicuti neque ab Hoſpitalibus, vel aliis hujuſmodi locis piis, juxtà *Piaſec. in praxi part.* 2. *cap.* 3. *art. ultimo num.* 16. *Zerol. in prax. part.* 2. *verb. viſitatio* §. *Secundo dub.* 7. *Leo in theſaur. for. Eccleſ. part.* 2. *cap.* 16. *num.* 41. *Pax Jordan. elucubrat. tom.* 2. *lib.* 7.
270 *tit.* 18. *num.* 33. Et ratio eſt, quià licèt hujuſmodi loca pia ſint ſubjecta Epiſcopo, tamen bona iis aſſignata non poſſunt diſtrahi in alios uſus, quam in deputatos à Fundatore, hoc eſt in ſubſtentationem Pauperum infirmorum, peregrinorum &c. & in ſalarium Miniſtrorum eis inſervientium.
271 Nec obſtat, quod etiam redditus Beneficiorum ſint in Pauperes expendendi, & tamen ex illis teneantur Beneficiati ſolvere procurationes.
272 Quia Beneficiati non tenentur omnes redditus in Pauperes diſtribuere, ſicuti ſunt diſtribuendi redditus omnes Hoſpitalium. Liquet aſſertio *ex Can. vobis*, *Can. conceſſa, & duobus ſequentibus* 12. *quæſt.* 2.
Hæc quoad Epiſcopos, eorumque poteſtatem, &
273 officium dixiſſe ſufficiat. Sciendum nunc antiquitus

R fuiſſe

fuisse quosdam medios inter Episcopos, & Presbyteros, qui Chorepiscopi dicebantur, de quibus loquuntur *Text. in Can. quamvis, & Can. Choropiscopi distint.* 68. hique gerebant curam Animarum in Oppidulis, vel Pagis loco Episcoporum, & veluti eorum Vicarii erant, ac nostris Parochis valdè affines, quare cum *Chora* Grecè Oppidum, seu regionem significet; dicebantur *Choroepiscopi* veluti *Villarum Episcopi*, teste *Bellarm. tom.2.controv.lib.1. cap.17.* illisque regulariter non erat permissum Diaconos, vel Subdiaconos ordinare, nec chrismate fidelium frontes linire, aut Altaria consecrare; sed cum hæc Dignitas in Ecclesia defecerit remitto me ad *Bellarm.loc.cit.* Et interim sit.

CAPITULUM ULTIMUM.

De Translatione Episcopi.

274 INTER Episcopum, & Ecclesiam cui præest Matrimonium spirituale contrahi, certum est in Jure; Episcopus enim cum sua Ecclesia conjunctus, significat Christum à Deo Patre Ecclesiæ præpositum in perpetuum Pontificem, ac Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, quapropter in hujus conjugii signum Episcopus annulum gestat, & Ecclesia illo carens dicitur viduata.

275 Sicut autem Matrimonium carnale aliud est inchoatum, videlicet sponsalia de futuro, aliud ratum, nempè sponsalia de præsenti, & aliud consummatum, videlicet per copulam carnalem; Ità aliud dici potest
276 Matrimonium spirituale initiatum, videlicet per electionem ab Episcopo electo acceptatam *cap. cum inter*

ter de elect. aliud ratum per confirmationem electionis petitam,& obtentam à Superiore legitimo,& aliud consummatum per consecrationem *cap. licet hoc tit.* quæ licèt nihil addat quoad substantiam conjugii spiritualis, tamèn accidentalitèr illud perficit dando facultatem Episcopo,ut exercere possit ea, quæ sunt propria Ordinis Episcopalis *Glos. in d.cap.licet in verb. eodem*.

277 Episcopus constitutus in prima specie Matrimonii spiritualis potest ante confirmationem habitam renuntiare Episcopatui ad libitum, absque licentia Superioris *cap. 2. de in integr. restit. ibique, Glos. v. renunciavit, & Abb. num.* 11. Quod DD. extendunt
278 etiam ad casum, quod electus petierit confirmationem, sed eam adhùc non obtinuerit, quia in tali statu neque plus Juris perdit, neque plus Juris acquirit per hoc, quod pro libito cedat Juri suo; Ità *Paris. de resignat. benef. lib. 7. quæst. 1. num. 78. & seqq.*

279 Cœterum si Episcopus sit in secundo,aut tertio statu Matrimonii spiritualis, scilicet confirmatus, vel consecratus, non potest suam Sedem relinquere, & ad aliam transire, nisi cum licentia Romani Pontificis; tùm ut tollatur nota ambitionis, quia ducti solent Prælati ad majores,& pinguiores Ecclesias anhelare, juxtà *Text. in cap. 1. de Cleric. non resident.* tùm quià
280 Matrimonium spirituale inter Episcopum, & Ecclesiam celebratum fuit authoritate Pontificis eum confirmantis,adeòque ad ipsum spectat illud dissolvere, cum illius sit solvere, cujus fuit legare; tum
281 etiam quià aliquæ causæ, quæ in Jure dicuntur majores,sunt à Summis Pontificibus sibi ipsis tantùm reservatæ,prout sunt definire authenticè controversias Fidei *cap. Majores de baptis. & Canon. quoties 24.*

quæst. 1. Episcopos transferre *cap.* 1. *&* 2. *hoc tit.* & *Can. mutationes* 7. *quæst.* 1. eosdem deponere *Can. quamvis* 3. *quæst.* 6. renunciationes eorum admittere *cap. nisi de renunc.* Concilium generale congregare *Can.* 1. *&* 2. *distinct.* 17. aliæque plures, circà quas consule *Glos. in cap. quoad translationem de offic. Leg. verb. reservata*, *in cap. sicut de excess. Prælat. verb. pertinere*, *& in cap.* 1. *verb. pertineat tit. nostro*. Ante enim reservationem hujusmodi Patriarchæ, vel Concilium Provinciale poterant Episcopos eligere, & confirmare, ideòque etiam illos transferre, ut videre est apud *Cassiodor. lib.* 2. *histor. tripart. cap.* 12.

282 Obiicies tamen primò *text. in cap.* 2. *hoc tit.* ubi dicitur fortius esse vinculum spirituale quam carnale, sed Matrimonium carnale consummatum non potest dissolvi à Romano Pontifice juxta illud Christi in Evangelio. *Quod Deus conjunxit homo non separet*, ergo à fortiori neque potest dissolvi Matrimonium spirituale inter Episcopum, & Ecclesiam.

283 Respondeo. Prosequere lecturam objecti textus, & solutio apparebit. Dicitur enim ibi, quod sicut humana potestate non potest dissolvi Matrimonium carnale consummatum jubente Christo: *Quod Deus conjunxit homo non separet*, ita pariter nequit mera potestate humana dissolvi spirituale inter Episcopum, & Ecclesiam, ideò solus Papa illud per translationem dissolvere potest, cum dissolvat potestate Divina, & accepta à Christo Domino, quatenus ejus vices gerit in Terris. Audi verba textus objecti; *Non enim humana, sed potiùs Divina potestate conjugium spirituale dissolvitur, cum per translationem authoritate Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium Jesu Christi, Episcopus ab Ecclesia removetur.*

Cœte-

284 Cœterum matrimonium ſpirituale poteſt dici fortius carnali, non quatenus à Romano Pontifice diſſolvi nequeat, ſed habito reſpectu ad alias utriuſque matrimonii proprietates, puta quià matrimonium carnale ſolvitur per ſpirituale, ſi ambo conjuges de mutuo conſenſum Religionem profiteantur; e contrà autem ſpirituale non ſolvitur per carnale, quià Regulares ſemel Religionem profeſſi, nequeunt amplius
285 matrimonium contrahere. Ità pariter matrimonium ſpirituale imprimit in Anima characterem indelebilem, quem non imprimit carnale, quod diſſolvitur per mortem alterius ex Conjugibus.

286 Obiicies ſecundò *text. in Can. non licet de conſecratione diſtinct.* 4. ſic ajentem: *Non licet fieri rebaptizationes, neque reordinationes, vel retranslationes Epiſcoporum*.

287 Reſpondeo ibi translationem non importare merum tranſitum Epiſcopi de una Sede ad aliam. Dictus enim Canon deſumptus eſt ex *Conc. Carthaginenſi* 4. celebrato adverſus Donatiſtas hæreticos, qui Epiſcopos à Catholica Religione ad eorum impiam ſectam impiiſſimè convolantes, ſtultè, & hæreticalitèr reordinare putabant juxta proprios iniquos ritus, per hoc præcisè, quod illos ad novam Sedem Epiſcopalem transferent, & in hoc ſenſu ibi accipiuntur, & meritò prohibentur retranslationes Epiſcoporum.

288 Obiicies Tertiò *Text. in Can. Epiſcopus* 7. *quæſt.* 1. ubi habetur Beneficiatum poſſe tranſire ad novum Beneficium abſque licentia Romani Pontificis, ergo idem facere poterit Epiſcopus volens tranſire ad aliam Sedem.

289 Reſpondeo translationem Beneficiatorum non eſſe cauſam majorem Summo Pontifici reſervatam, prout

eſt

est Episcopatus; non enim strictum, & proprium conjugium spirituale contrahitur inter Beneficiatum, & Ecclesiam, in qua habet Beneficium, sicuti contrahitur inter Episcopum, & Ecclesiam Episcopalem, & de facto Beneficium carens Beneficiato dicitur *vacans*; Ecclesia carens Episcopo *Vidua*.

290 Obiicies ultimò. Est contra naturalem libertatem, quod aliquis in aliquo loco maneat invitus; ergo est contra naturalem libertatem quod Episcopus volens nequeat pro libito Sedem mutare.

291 Respondeo non esse contra naturalem libertatem, quod aliquis nequeat pro libito mutare locum, quando se obligavit tacitè, vel expresse ad permanendum in tali loco; Episcopus autem contrahendo conjugium spirituale cum sua Ecclesia, promisit se ab ea non fore recessurum irrequisito Pontifice, sicuti Maritus pro hoc quod Uxorem duxerit, nequit ab ea recedere, & aliam ducere. Celebre enim est Evangelicum illud effatum. *Uxorem duxi, & ideò non possum venire*.

292 Pœna Episcopi propria authoritate de suà ad aliam Ecclesiam properare tentantis, est, quod utraque privetur, ut sic puniatur in quo deliquit, per *Text. in cap.* 1. *de cleric. non resident*.

293 Nec obstant *Text. in Can. eos*, & *Can. si qui verò* 7. *quæst.* 1. in quibus legitur Episcopum propria authoritate ad aliam Ecclesiam transeuntem, cogendum fore, ut ad primam redeat.

294 Respondeo enim dictos *Text.* procedere in casu quo prima Ecclesia repetat Episcopum desertorem, tunc enim, utpote ejus verus sponsus, sponsæ suæ eum repetenti reddendus est, hoc autem non probat, quin secluso desiderio primæ Ecclesiæ suum Episcopum

pum non repetentis, Episcopus illam propria authoritate deserens, ea privandus non sit.

295 Quamvis autem Pontifex possit Episcopus transferre; tamen cum ad mentem *D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 1. *ad* 7. non sit à Deo constitutus absolutus Dominus, sed fidelis dispensator bonorum Ecclesiæ, nequit tranferre Episcopos, nisi ex duabus causis, utilitate scilicet, vel gravi necessitate. Utilitas erit,
296 si ad servandum bonum pacis, vel concordiæ Episcopum transferat, vel quia habeat spem majoris fructus, aut lucri spiritualis in alia Ecclesia percipiendi *Can.*
297 *mutationes* 7. *quæst.* 1. Necessitas verò dicetur existere, si prima Ecclesia sit in potestate hostium, vel Episcopus in ea nequeat tutò vivere ob aeris intemperiem, aut scandalum, & persecutionem plebis &c. *Can. temporis cit. caus. & quæst.*

298 Quæres autem an Papa possit Episcopum jam consecratum invitum tranferre de una Ecclesia ad aliam.

299 Dico primo. Papa potest transferre Episcopum invitum. Probatur primò. Papa potest in una Ecclesia duos Episcopos constituere *Can. non autem* 7. *quæst.* 1. potest concedere uni Episcopo duos Episcopatus *Can. relatio* 21. *quæst.* 1. Potest unire duos Episcopatus, & unum in plures dividere *cap. sicut unire de excess. Prælat. & Can. temporis* 16. *quæst.* 2. ergo potest Episcopum invitum transferre, cum in Episcopatibus, & beneficiis omnibus habeat plenitudinem potestatis, juxta celebre dictum *Bald. in leg. rescripta C. de precib. Imperat. offerend. num.* 8. *vers. item omnia beneficia.*

300 Probatur secundò. Papa potest dissolvere matrimonium carnale ratum invito altero conjuge, ut communitèr

nitèr notant *DD. in cap. commissum de sponsal. & in cap. ex publico de conversione conjugatorum*, imò aliquando solvere potest etiam consummatum, in casu, quo unus ex Conjugibus Infidelibus ad fidem convertatur,& alter cum illo renuat habitare absque contumelia Creatoris, *cap. quanto de divort.* ergo à fortiori poterit dissolvere conjugium spirituale transferendo Episcopum invitum ad aliam Ecclesiam, cum fortiùs sit matrimonium carnale, quam spirituale, juxtà *Glos. in cap. 2. hoc tit. in v. fortiùs*.

301 Probatur tertiò Inferiores Sacerdotes possunt à suis Episcopis transferri etiam inviti ab una ad aliam Ecclesiam *cap. quæsitum de rer. permut. & Glos. in Can. omnis in v. coactè* 7. *quæst.* 1. ergo à fortiori poterit invitus Episcopus à Papa transferri.

302 Dico secundò. Papa non potest Episcopum transferre invitum, nisi concurrente justa causa necessitatis, vel utilitatis. Ità *Jo. Andr. in cap. quod ob gratiam de reg. Jur. in sexto col. 2. num. 1. in fin. Bellam. in Can. omnis 7. quæst. 1. num. 1. Monach. in cap. generaliter num. 15. de elect. in sexto Abb. in cap. constitutus de Religios. domib. col. 3. & in cap. fin. in fin. de postulat. Prælat. Roman. cons. 345. ibique adden. in v. non possit, & Calderin. cons. 57.* Ratio est *D. Thom. 2. 2. quæst.* 100. *art.* 1. *ad* 7. Quia Papa non est Dominus, sed dispensator rerum Ecclesiæ, juxtà illud *Lucæ* 12. *Quis putas fidelis est dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam*; Spectat autem ad fidelitatem, & prudentiam in dispensando, respicere ad bonum commune, & nonnisi cum justa causa res sibi traditas dispensare.

303 Adverte tamen, quod Papa transferens Episcopum invitum, solvat ipso Jure vinculum spirituale interce-

dens

dens inter ipsum, & primam Ecclesiam; ad effectum tamen eum copulandi secundę Ecclesię requiratur necessariò consensus Episcopi translati; consensus enim utriusque conjugis ad validitatem cujuscumque matrimonii essentialiter requiritur, *ut per mutuum consensum eligentium, & electi, quasi conjugale vinculum spiritualitèr sit contractum*, sunt verba textus *in cap.*
304 *cum inter de electione*. Si autem publicum Ecclesiæ bonum, ac urgens causæ justitia talem translationem exigat, eique translatus consensum præstare recuset, poterit à Papa per pœnarum comminationem cogi ad consentiendum, ut sic ex nolente fiat volens *Can. sciat 7. quæst. 1. & Abb. in cap. fin. §. 13. de postulat. Prælat.*

TITULUS V.

De Authoritate, & usu Pallii.

1 SI Pallii extrinsecam formam, & qualitatem spetas, est *vestis candida ex lana alba agniculorum contexta in coronæ, seu Circuli modum pectus, & humeros circumdans, ac quatuor nigris, vel purpureis crucibus distincta, anteriori parte non nihil de-*
2 *pendens. Ita Abb. ad rubric. hoc tit.* Si verò ejus quidditatem intrinsecam inquiras, est *insigne de corpore Beati Petri sumptum, in quo Pontificalis officii plenitudo confertur. Ad textum in cap. significasti de elect.*
3 *& cap. 3. hoc tit.* Dicitur juxta veriorem interpretationem *de corpore D. Petri sumptum*, quia importat

S deri-

derivationem potestatis Ecclesiasticæ in B. Petro, & ejus Successoribus residentis, quæ per traditionem Pallii accipientibus illud communicatur, *juxtà text. in dicto cap. significasti*.

4 Videtur ad mentem *Pelusiotæ lib. 1. Epist. 136.* Pallium traxisse originem suam ab Evangelico illo Pastore, qui ovem deperditam suis humeris imposuit, & ab ovili exulantem ad ovile revocavit; ideò ex ovium lana Pallium conficitur.

5 Jus habent utendi Pallio Romanus Pontifex, & solus habet facultatem illud aliis conferendi *dicto cap.*
6 *significasti in fin.* Non confert autem illud nisi Patriarchis, Primatibus, & omnibus Archiepiscopis *cap. 1. & 2. distinct. 100.* Episcopis autem quibusdam
7 ex singulari Sedis Apostolicæ privilegio, & hi sunt Ostiensis ad Ostia Tiberina, & Sacri Collegii Cardinalium Decanus, cujus munus est Papam consecrare, Papiensis in Longobardia, Quinqueecclesiensis in Hungaria, ut patet *ex cap. cum in juventute de præsumpt.* Lucensis in Tuscia, & Bambergensis in Germania. Consule *Hostiens. in sum. hoc tit. num. 3.*

8 Hæc autem differentia intercedit inter Summum Pontificem, & alios Pallio decoratos, quod Papa illo uti possit in omnibus Missarum solemniis, & ubique locorum, cum habeat in se plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis *Can. cuncta, & Can. per principalem 9. quæst. 3.* Archiepiscopus autem in omnibus tantùm suæ Provinciæ Ecclesiis illo uti potest *cap. 1. hoc tit.* & diebus tantùm à Jure permissis, qui recensentur à *Glos. in cap. ad honorem v. eodem hoc tit.* ad quam me remitto.

9 Nèc obstat, quod Proconsul missus ad Provinciam gerendam suis insignibus etiam extrà illam uti possit, juxta *text. in l. de off. Proconsul.* Re-

10 Respondeo enim Archiepiſcopum habere facultatem utendi ornamentis Pontificalibus reſtrictam ad fines ſuæ Provinciæ,ut liquet ex *cap.* 1. *hoc tit.* quare extrà illam iis uti nequit;quæ limitata conceſſio inſignium non eſt facta Proconſuli. Ità *Imol. in cap. ex tuarum num.* 5. *hoc tit.*

11 Adverte tamen, quod de licentia Metropolitani, & Suffraganei poſſit Archiepiſcopus in aliena Diœceſi uti pallio v. g. in Ordinatione Clericorum illius Diœceſis *cap. Ex tuarum hoc tit. ibique Abb. n.* 4. *&* 5. & noviſſimè *Tridentinum ſeſſ.* 6. *cap. fin. de reform.*

12 Ratio autem cur regulariter extrà Provinciam Archiepiſcopus Pallio uti nequeat deſumitur ex formà tradendi Pallium, quæ conſtat his verbis relatis à *Gloſ. in cap. ad honorem verbo eodem hoc tit.* = *Ad honorem Dei omnipotentis, & B. Mariæ Virginis, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum, & Domini Papæ Clementi XI. tradimus tibi Pallium de Corpore B. Petri ſumptum in plenitudinem Pontificalis dignitatis, ut utaris eo intrà Eccleſiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegis Eccleſiæ tuæ conceſſis à Romana Eccleſia.* Nota illa verba, *ut utaris &c.* reſtrictiva ad certam Provinciam, & certos dies.

13 Debet autem Archiepiſcopus (& quod dico de illo intellige de aliis jus petendi Pallium habentibus) petere Pallium intrà tres menſes à die conſecrationis,ſi anteà conſecratus non fuit,vel ſi jam fuit conſecratus, à die confirmationis; aliàs ſi abſque legitima cauſa negligens in petendo fuerit, privatur Epiſcopali poteſtate, *Can. quoniam, ibique Gloſ. verb. conſecrationis, & Can. optatum in fin. diſt.* 100.

14 Sed Quæres, quid Juris,& poteſtatis per Pallii traditionem aſſequatur Archiepiſcopus.

15 Respondeo. Confertur illi nomen Archiepiscopi, & plenitudo Archiepiscopalis officii *cap. nisi hoc tit.* puta facultas convocandi Concilium Provinciale, visitandi Provinciam &c. & potestas Ordinis Archiepiscopalis, puta consecrandi Clericos, Sacrum Chrisma ministrandi &c. quæ omnia antè traditionem Pallii validè quidem, sed non licitè peraget, utpotè contrà Canones, & Jura *cap. quod sicut de electione, ibique Glos. in v. sine Pallio, cap. nisi hoc tit. ibique Abb.*

16 Quæres secundò. An Pallium ad alios transferri possit.

17 Respondeo negativè, quia Pallium est veluti privilegium personale cum restrictione ad locum, & ad Ecclesias certæ Provinciæ, adeòque extinguitur cum
18 persona *cap. ad hoc, hoc tit.* Hinc Archiepiscopus translatus ad alium Archiepiscopatum non potest uti priore Pallio, sed novum petere debet *cap. Bonæ in fin.*
19 *de potest. Prælat.* Sicuti pariter Successor translati
20 novum Pallium petere debet *cap. 2. hoc tit.* Quare si Archiepiscopus aliquis pluribus Sedibus donatus fuerit, & posteà moriatur, Pallio posteriùs accepto ejus Cadaver indui debet, & priùs habitum Corpori, vel Capiti subiiciendum est, juxtà *Abb. in d. cap. 2. n. 7.*



TITU-

TITULUS VI.

De reliquis Dignitatibus Ecclesiasticis infrà Episcopatum.

1 PRIMA post Dignitatem Episcopalem Dignitas est *Archidiaconatus* ; temporibus enim Apostolorum in qualibet Urbe, cui dabatur Episcopus, simul cum illo septem Diaconos constitui mos erat, illisque antiquior *Archidiaconus* fuit appellatus, veluti *Princeps Diaconorum* teste *Azor part.* 2.
2 *Institut. moral. lib.* 3. *cap.* 14. *quæst.* 1. Postea verò aucta fuit Archidiaconi potestas, ut oculus Episcopi diceretur, ejusque Vicarius esset in omnibus *cap.* 1. & *cap. ad hoc de offic. Archid.* & ad ipsum primò spectabat Evangelium legere, vel alteri præcipere, ut legeret, & instruere inferiores Ministros ad ministerium Altaris *cap.* 2. *tit. dicto*.

3 Secundò; Causæ minores civiles Clericorum Diœcesis, vel etiam criminales, ubi tamen civiliter de criminibus ageretur in prima instantia deferendæ erant ad ipsum *cap.* 1. *ibique Glos. in v. Vicarium, & Joan. Andr. in cap. ad hæc num.* 4. *tit. cit.* à quo tamen poterat appellari ad Episcopum, vel Vicarium Genera-
4 lem ipsius *cap. referente de præbend.* causas autem majores, & negocia magis ardua Diœcesis Archidiaconus cognoscere non poterat *dicto cap. ad hæc* §. *Item in Epistola, & Tridentinum sess.* 24. *cap.* 20. & *sess.* 25. *cap.* 14. *de reformat.*

Tertiò

5 Tertiò ex noviſſimo decreto ejuſdem Tridentini *ſeſſ.* 24. *cap.* 3. *de reform.* poteſt Diœceſim viſitare de conſenſu Epiſcopi, & Notario ſecum aſſumpto, dummodò tamen intrà menſem rationem peractæ viſitationis Epiſcopo reddat, ac integra acta ei exhibeat; Et àlia multa expedire poterat Archidiaconus, de quibus
6 diſponit *Can.* 1. §. *Archidiaconus diſtinct.* 25. ac *idem Tridentinum ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de reform.* jubet, quod eligendus in Archidiaconum ſit in Theologia doctor,
7 vel licentiatus in Jure Canonico; quod tamen decretum accipiendum eſt de iis tantùm Archidiaconis, qui officium Archidiaconatus cum præfata juriſdictione revera exerceat; juxtà *Garz. part.* 7. *de beneſ. cap.* 7. *n.* 41.

8 Cœterum nunc temporis ſervanda eſt cujuſque Eccleſiæ ſpecialis conſuetudo, in multis enim locis, vel nullus eſt Archidiaconus, vel habet præeminentiam tantùm inter Canonicos, ſed ſinè ulla Juriſdictione *Barboſ. lib.* 1. *Jur. Eccleſ. cap.* 24. *num.* 37.

9 Sicut autem in foro externo, & quoad Juriſdictionem contentioſam Vicarius Epiſcopi eſt Archidiaconus, ità in foro interno, & quoad curam Animarum ejus Vicarius eſt *Archipresbyter*, ità dictus veluti *primus, & Princeps Presbyterorum*; Et licèt quoad juriſdictionem, & dignitatem minor ſit Archidiacono, tamen quoad Ordinem Sacerdotalem eſt illo major, *Hoſtien. in ſumm. num.* 2. *de offic. Archid.*

10 Duplex eſt autem: unus Civitatenſis, qui vel in Eccleſia Cathedrali eſt Decanus, vel in Eccleſia Collegiata, de quibus loquitur *cap. officium de offic. Archipresb.* & *Barboſ. lib.* 1. *Jur. Eccleſ. cap.* 25. *num.* 5.
11 *&* 6. Alter Archipresbyter, ſeu Decanus ruralis, qui alio nomine Vicarius foraneus Epiſcopi dicitur, de quo infrà ſermo erit.

Civi-

12 Civitatensis igitur munus erat in foro interno vices subire Episcopi, puta infligendo publicas pœnitentias, vel publicum Peccatorem reconciliando consulto Episcopo, curam gerendo, ut alii Sacerdotes curam Animarum habentes rectè, ac ritè Sacramenta ministrarent, Fontes benedicendo, infirmos sacra unctione liniendo &c. de quibus videatur integer *tit. de officio Archipresb.*

13 In hac tamen etiam re servanda est consuetudo cujuscumque Ecclesiæ, juxtà *Jo: Andr. in cap. cum ab Ecclesiasticarum de offic. Jud. Ordin. num.*8. Nam in aliquibus locis, vel hæc Dignitas omninò defecit, vel jurisdictione qualibet caret, vel habet etiam jurisdictionem in foro externo in Clericos Ecclesiæ, cui præest, prout de Decanis aliquibus testatur *Inn. in cap. quanto num.*2. *&* 3. *de offic. Jud. ordin.*

14 Post Archidiaconum, & Archipresbyterum in ordine Hierarchiæ Ecclesiasticæ veniunt *Vicarii*; illi scilicet, qui vices alterius gerunt in cujus locum sub-
15 stituuntur, & ex his alii dicuntur Vicarii in Divinis, alii Vicarii jurisdictionis.

16 Vicarius in Divinis subdividitur in perpetuum, & temporalem. Perpetuus est, qui in aliqua Ecclesia authoritate Episcopi perpetuò est constitutus, certis ipsi assignatis redditibus, de quo *in cap. extirpandæ* §. *Qui verò de præbend. & in cap. ad hæc de offic. Vi-*
17 *carii*; Temporalis verò est ille, qui in alterius locum suffectus est certa paritèr assignata portione, sed ad Episcopi nutum amovibilis, de quo fit mentio *in cap. pervenit de appellat.* puta si constituatur Vicarius Parocho, vel Rectori beneficii infirmo, seni, justè absenti, multis negociis irretito, peregrinanti ad pia loca &c. Videatur *Text. in Can. ex temporis* 16. *quæst.* 1. *in*

cap.

cap. cum vos de offic. Jud. ordin. & Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 18. de reform.

18 Vicarius pariter juriſdictionis ſubdividitur in con-
ſtitutum à Lege, qui etiam dicitur *natus*, & conſtitu-
19 tum ab homine, ſeu Superiore. Conſtituti à lege ſeu
nati ſunt Archidiaconus, & Archipresbyter, qui ſunt
Vicarii Epiſcopi ab ipſo Jure conſtituti, cum munus
Vicariatus annexum ſit ipſis dignitatibus Archidiaco-
20 natus, & Archipresbyteratus. Ex Vicariis autem ab
homine conſtitutis, alius habet eamdem juriſdictio-
nem cum juriſdictione conſtituentis, quamvis depen-
dentèr ab ipſo conſtituente, qualis eſt Vicarius gene-
ralis Epiſcopi, alius habet juriſdictionem dependen-
tem à conſtituente, & diverſam à Juriſdictione con-
ſtituentis, qualis eſt Vicarius foraneus Epiſcopi, ſeu
Decanus ruralis, de quibus omnibus inſcribatur.

CAPITULUM UNICUM.

De Vicario Generali, & Foraneo Epiſcopi,

21 VICARIUS Generalis Epiſcopi eſt ille, *cui gene-
raliter adminiſtratio commiſſa eſt*; *tam in ſpiri-
tualibus, quam temporalibus, vel ſaltem in ſpirituali-*
22 *bus*; Si enim tantùm temporalibus illam habeat, non
dicitur Vicarius, ſed OEconomus; Cumque negociis
23 omnibus Diœceſis rectè expediendis impar ſit Epi-
ſcopus ſolus, poteſt cogi ab Archiepiſcopo, ut intrà
præfixum terminum Vicarium ſibi aſſumat, ſi fortè
negligat illum aſſumere. Ità *Abb. in cap. quoniam n. 3. de offic. Jud. ordin.*

24 Eligendus autem in Vicarium debet eſſe Clericus,
& ſal-

& saltem prima tonsura initiatus, imò si etiam in foro pœnitentiæ Episcopi vices subire debeat Sacerdos esse debebit *Can. in nona 16. quæst. 7.* ne si laicus esset, spiritualia negocia expediret contra *Text. in cap. 2. de judic.*, nec debet esse Clericus conjugatus, estò unicam, & virginem duxisset, vel bigamus. *Ità Garz. de benefic. par. 5. cap. 8. num. 4. 5. & 6.*

25 Rursus debet saltem vigesimum quintum ætatis Annum attigisse, & in Theologica, vel Canonicà Scientia doctorali Laurea esse donatus *cap. cum in cunctis §. Inferiora.* ubi *Abb. & Dec. num. 5. de elect. Trid. sess. 24. cap. 12. de reform. Pax. Jordan. tom. 2. elucubrat. lib. 10. tit. 20. nu. 54. & seqq. Azor. Instit. Moral. par. 2. lib. 3. cap. 43. quæst. 12.*

26 Quibus conditionibus si polleant Regulares, etiam ipsi in Vicarios eligi possunt, dummodò adsit licentia Superiorum Regularium, & secum ferant socium religiosum. *Ita Rebuff. in prax. benefic. tit. de Vicar. Episc. num. 30. & 31.* Excipe Mendicantes tantùm, quibus hoc interdicitur *à Clem. 1. §. Ad prioratus de regular. Rebuff. loc. cit. num. 32.*

27 Rogabis autem primò: an Jurisdictio Vicarii generalis sit ordinaria, vel delegata.

28 Respondeo contrà plures antiquiores; esse jurisdictionem ordinariam, non delegatam; *Ita Glos. in cap. 2. de offic. Vicar. in sexto v. officialem, & in cap. Romana v. generaliter de appellat. in sexto, ibique Hostiens. Abbas in cap. relatum num. 8. de offic. Deleg. Gonzal. in cap. 5. de offic. Vicar. numero 5. Garz. de benefic. par. 5. cap. 8. num. 21. Molin. de primog. lib. 1. cap. 25. num. 13. Solorzan. de Jur. Indiar. tom. 2. lib. 3. cap. 8. num. 3. Tholosan. Syntagm. Jur. lib. 15. cap. 41. nu. 3.* aliique plena manu congesti à *Barbos. de potest. Epis.*

alleg. 54. num. 26. & ad tit. de offic. Vicar. in sexto, Paris. de resign. benef. lib. 3. quæst. 11. num. 22. & seqq. Sperell. decis. 97. num. 3. Rot. cor. Merlin. tom. 2. decis. 693. num. 3.

29 Probo primò. Vicarius generalis habet jurisdictionem à lege, ut liquet ex *tot. tit. de offic. Vicar. in sexto.* Sed habens jurisdictionem à lege dicitur habere jurisdictionem ordinariam *l. more, ibique Glos. in v. suo jure, & l. quia ff. de jurisdict. omn. Judic.* ergo *&c.*

30 Probo secundò. A Delegato potest appellari ad Delegantem, *Tex. est in cap. super §. Porrò de offic. Deleg.* Sed à Vicario generali Episcopi non potest appellari ad Episcopum, Textus est apertissimus *in cap. Romana de appellat. in sexto*, ubi redditur ratio, ne ab eodem appelletur ad se ipsum; ergo &c.

31 Probo tertiò. Vicarius potest, ut Judex interponere decretum in alienationibus rerum factis à minoribus 25. annis, & in emancipationibus *l. fin. C. de offic. ejus, qui vicem &c.* Sed hæc nequit facere Delegatus *l. 2. ff. tit. dicto, & l. nequidquam §. Ubi decretum ff. de offic. Proconsul.* ergo &c.

32 Probo quartò. Episcopus, & Vicarius generalis constituunt idem Tribunal *dicto cap. Romana, & cap. 2. de consuet. in sexto.* Sed jurisdictio Episcopi est ordinaria *cap. cum Episcopus de offic. Jud. ordin. in sexto*; ergo etiam jurisdictio Vicarii generalis.

33 Obiicies tamen primo. Episcopus non potest concedere jurisdictionem ordinariam *Glos. in cap. 2. in v. statuuntur, ne Prælati vices suas &c.* Sed Vicario conceditur jurisdictio ab Episcopo; ergo &c.

34 Respondeo Episcopum non conferre jurisdictionẽ Vicario, sed merè illum nominare, qua nominatione secutà illicò Lex dat nominato jurisdictionem, quod sufficit

ſufficit ad eſſentiam juriſdictionis ordinariæ, ut vidimus; ſicuti quamvis vitam accipiamus à Deo, tamen dixit Philoſophus, quod *Deus* (ſeu, ut alii vertunt) *ſol, & homo generant hominem*: Deus tamen creat hominem immediatione virtutis, homo generat tantùm immediatione ſuppoſiti. Sic pariter Vicarius generalis juriſdictionem habet ab Epiſcopo immediatione ſuppoſiti tantùm, ſed habet à Lege immediatione virtutis. Ità peracutè, & hiſpanico more objectioni occurrit laudatus *Gonſal. ad cap. 5. de offic. Vicar. nu. 5. propè initium*.

35 Obiicies ſecundò. Juriſdictio delegata expirat mortuo concedente, & ordinaria remanet *cap. gratum, cap. relatum, & cap. licet undique de offic. Judic. deleg.* Sed juriſdictio Vicarii expirat morte Epiſcopi; ergo eſt delegata, non ordinaria.

36 Reſpondeo. Juriſdictionem ordinariam non adhærentem alteri ordinariæ, ut principali, durare etiam mortuo concedente, quia tamèn juriſdictio ordinaria Vicarii eſt acceſſoria ad ordinariam Epiſcopi, à qua dependet, pereunte principali, perire debet etiam ipſa.

37 Obiicies tertiò. Delegatus fungitur vice Delegantis *l. 1. §. Qui mandatum ff. de offic. ejus &c.* Sed Vicarius gerit vices Epiſcopi *cap. Romana in prin. de appellat. in 6.* ergo &c.

38 Reſpondeo. Gerentem vices alterius in diverſo Tribinali eſſe delegatum, ſecus autem gerentem vices in eodem, prout eſt generalis Vicarius reſpectu Epiſcopi, ut conſtat *ex eodem cap. Romana*.

39 Obiicies quartò. Nequit dominium, vel poſſeſſio ejuſdem rei eſſe apud duos in ſolidum *l. ſi ut certò §. Si duobus ff. commodati, & l. 3. §. Ex contrario ff. de acquiren. poſſeſſ.* ergo neque eadem juriſdictio ordina-

ria potest esse apud Episcopum, & Vicarium generalem: est autem in Jure optimum argumentum à jurisdictione ad dominium, & possessionem *per Text. in l. qui furere ff. de stat. homin.*

40 Respondeo. Argumẽtum procedere quando eadem jurisdictio eodem modo, & æque principaliter adsit penès duos; jurisdictio autem ordinaria principalitèr est in Episcopo, qui ratione Dignitatis assequitur veluti dominium jurisdictionis, in Vicario verò est accessoriè, & quasi exercitium dominii jurisdictionis

41 consistentis in persona Episcopi. Ità pariter ejusdem rei dominium potest esse diverso modo apud duos, puta apud unum directum, apud alium utile; Ita ejusdem rei possessio potest esse apud unum naturaliter, apud alium civiliter, & unus possidere per se nomine alieno, alius per alium nomine proprio.

42 Rogabis secundò, quæ possit facere Vicarius ex vi sui officii.

43 Respondeo, quod si habuerit ab Episcopo generalem commissionem, possit expedire omnes causas pertinentes ad jurisdictionem Episcopi, præter illas, quæ speciale mandatum requirunt *cap. 2. in de princ. officio Vicarii*. Et ratio est, quià specialia non censentur commissa, aut delegata, nisi exprimatur *cap. qui ad agendum de procurat. in sexto*.

44 Prima autem ex causis exceptis, quæ requirunt specialem commissionem, est cognitio causarum criminalium *cap. licet de officio Vicarii Clar. in prax. §. fin. quæst. 40. num. 3. ibique, Bajard. Fusc. de visit. lib. 1. cap. 2. sub numero 18. Addit. ad Sanfelic. decisione 405. observ. 5.* Et ratio est, quia causæ criminales recentur inter causas majores, in quibus de vita hominis agitur, vel de gravi pęna infligẽda, causæ autẽ majores

nun-

nunquam commissæ censentur, nisi exprimatur.

45 Limita tamen assertionem primò si ageretur coram Vicario de delicto aliquo civiliter, non criminaliter *Jo. Andr. in dicto cap. 2. ibique Anchar. §. Sed hic quæritur*, *Ricc. in prax. secunda parte resol.* 180. *per tot. & Ventrigl. in prax. Episc. tom.* 2. *tit. de Vic. generali adnot.* 24. §. 1. *num.* 24.

46 Limita secundò, si Vicarius inquirat de delictis præcisè, ut delinquentes se corrigant, & avertantur scandala, vel ut ad Episcopum causam referat *Anchar. loc. cit. & ibidem Jo. Monach.*

47 Limita tertiò, si Vicarius propter delicta non gravia velit imponere pœnas leves, puta mulctas pecuniarias, vel similes: Et ratio est quia omnes jurisdictio, præsertim ordinaria, debet habere aliquam vim coercitivam saltem modicam, alias inefficax est *l. ult. in fin. ff. de offic. ejus cui mandat. est jurisd. & DD. supra citati.*

48 Secunda causa excepta est Visitatio Diœcesis, Congregatio Synodi. *Barbos. de potest Episc. parte tertia alleg.* 54. *num.* 103. *& Rebuff. in prax. tit. de forma Vicariatus num.* 151. Concessio dimissoriarum, nisi Episcopo in remotis agente *cap. cum nullus §. Episcopo de tempor. ordinat. in sexto*; Alienatio rerum Ecclesiasticarum, juxtà *Rebuff. loco cit. numero* 184.; Concessio indulgentiarum; dispensatio in votis, legibus, juramentis &c. *Guttier. libro* 1. *quæst. Canonic. cap.* 19. *nu.* 15. Nisi tamen dispenset denunciationibus faciendis antè matrimonium. *Guttier. ibid.* vel in aliis casibus, in quibus Jus dat ipsi hanc facultatem. Reliqui casus excepti videri possunt apud *Fagn. in cap. quoniam num.* 19. *& seqq. de offic. deleg.* & *Pax. Jordan. tom.* 2. *elucubrat. lib.* 12. *tit.* 1. *num.* 142. *& seqq.*

Adver-

49 Advertendum tamen, quod, ut hęc omnia Vicario commissa dicantur, non requiratur specialis expressio singulorum, sed sufficiat clausula generalis, qua Episcopus det illi facultatem *omnia alia expediendi, etiamsi exigant speciale mandatum*.

50 Dubium tamen est, an Vicarius cognoscere possit absque commissione speciali causas matrimoniales.

51 Et affirmativæ adhæreo sententiæ, quam sequuntur multis relatis, *Sanchez. lib. 3. de Matrim. dispen.* 29. *& Barbos. de potestate Episcopi dicta alleg.* 54. *n.* 94. *Sbroz. de offic. Vicar. lib. 2. quæst.* 44. *in fin. Ricc. in prax.* 4. *parte resol.* 471. *per tot. juxta ultima impressione*, patet *ex cap. 1. de frigid. & malefic.* Ubi Coniux petens divortium proclamavit ad Episcopum, aut ejus Missum, per Missum autem *Glos. ibi. in v. Missum* intelligit Vicarium Episcopi, & *in cap. fin. de cognat. spirit.* habetur impedimentum quoddam matrimonii propositum fuisse coram Officiali Cantuariensi, sub cujus nomine apud omnes venit Vicarius generalis.

52 Nec obstat *Tridentinum sess.* 24. *cap.* 20. *de reform.* Illud enim adimit facultatem cognoscendi causas Matrimoniales tantùm Episcopo inferioribus, qualis non est Vicarius generalis, qui fecit unum, & idem Tribunal cum illo, ejusque personam repræsentat; Verum quidem est, quod in hac re spectanda sit cujusque loci, & Diœcesis consuetudo.

53 Rogabis tertiò, an possit Vicarius beneficia Diœcesis conferre.

54 Respondeo negativè *per Text. in cap. fin. de offic. Vicarii in sexto*, & ratio allata à Textu est, quia collatio beneficiorum est veluti quædam donatio, & alienatio; nequit autẽ Vicarius absque speciali mandato Episcopi ea facere, quæ ad liberalitatem, & quamcumque alienationem spectant. Ad-

55 Advertè primò. Vicarium generalem nullo modo posse disponere de beneficiis absque speciali delegatione Episcopi, puta admittendo resignationes, deponendo Beneficiatos, præsentando ad benefici a &c. *Rebuff. in prax. tit. de union. benefic. num. 37. Sbroz. loco cit. quæst. 115. Barb. par. 1. Jur. Eccles. lib. 1. cap. 15. num. 23.*

56 Adverte secundò, quod obtenta ab Episcopo speciali delegatione ad unum, puta ad conferendum beneficium, ea non possit uti ad aliud, puta ad Beneficiatum à beneficio deponendum, quia unum est diversum ab alio. Ita *Paris. lib. 7. de resign. benef. quæst. 24. Sbroz. loc. cit. & Garz. part. 12. de benef. cap. 2. n. 69.*

57 Adverte tertiò, posse Vicarium generalem absque speciali commissione præsentatos à Patronis ad beneficia in illis instituere, vel validè electos confirmare *cap. frequentibus de institut. & Glos. in cap. ult. v. non possunt de offic. Vicar. in sexto, Lambertin. de Jur. patron. lib. 2. part. 3. quæst. 1. art. 5. per tot. & præcipuè num. 3. Paris. loco cit. quæst. 14. num. 29. Rota in anti-*
58 *quis dec. 1. de renunciat.* Licèt enim Vicarius nequeat absque speciali delegatione ea peragere, quæ sunt gratiæ, & liberalitatis, prout est libera collatio Beneficiorum, potest tamen ea exequi, quæ sunt justitiæ, & necessitatis.

59 Rogabis ultimò, quibus modis finiatur officium Vicarii.

60 Dico primò. Per mortem Vicarii finitur, quia mors omnia solvit.

61 Dico secundò. Finitur quoque per renunciationem expressam, vel tacitam Vicarii ipsius, puta si discedat à Diœcesi animo non redeundi *Fagn. in cap. præsentata de Testibus per tot.*

Dico

62 Dico tertiò. Finitur per mortem, renuntiationem, depositionem, vel translationem Episcopi ipsius. Ratio est, quia Vicarius generalis reputatur una, eademque persona cum Episcopo, & cum illo unum, idemque Tribunal constituit *Glos. fin. in Clemen. ult. de procurat. Abb. in cap. licet num. 8. in fin. de offic.*
63 *Deleg.* Imò si Episcopo excommunicato jurisdictio Episcopalis suspendatur, suspenditur etiam Vicario suo jurisdictio ob rationem prædictam *Glos. in cap. primo v. ipsius de offic. Vicar. in sexto, Rebuff. loco cit. tit. de form. Vicar. num. 216. & seqq. Pax. Jordan. loco cit. numero 249. & seqq. Tusch. litt. V. conclus. 191. per tot.*

64 Dico ultimò. Finitur per revocationem ab Episcopo factam, quia officium Vicarii ad Episcopi nutum est amovibile *Glos. in Clemen. secunda v. per electionem de rescript. Abb. in cap. pen. nnmero 4. de offic. Vicar.*
65 Dummodò tamen Vicario revocatio ab Episcopo intimetur certò, puta per Nuncium, vel Epistolam; quia non cessat Jurisdictio Judicis donec certior reddatur de revocatione, *per Text. in l. si fortè ff. de offic. Præsid. Rebuff. loco cit. num. 212. Sanch. de Matrim. lib. 3. disp. 30. in fin. Sbroz. loco cit. lib. 3. quæst. 36. num. 6. Paris. dicta quæst. 24. à num. 41. Boer. decis. 347. à num. 14. usque ad 18.* Et sicuti ad constitutionem Vicarii requiritur intimatio, quia requiritur ejus acceptatio, ita & ad revocationem, quia per easdem causas res nascitur, & disolvitur *cap. 1. de reg. Jur.* Vide *Rebuff. in prax. tit. de forma Vicariatus num. 212.*

66 Hæc quoad Vicarium generalem. Vicarius autem foraneus, qui etiam Archipresbyter, seu Vicarius ruralis nuncupatur, est ille, qui ab Episcopo constituitur extrà Civitutem Episcopalem in privatis locis, ac Pagis

gis ad regimen, & gubernationem in spiritualibus, pluresque Vicarii hujusmodi possunt,& solent constitui ab Episcopo, eorumque munus est Parochis, & Præsbyteris minoribus præesse, ut ea qua debent diligentia Divino Officio incumbant, ac Sacramenta ministrent. *Text. in cap. fin. de offic. Archipresbyt.*

67 Exceptis tamen levioribus negociis, in causis dubiis, vel gravibus jurisdictionem exercere nequeunt Vicarii foranei, sed debent omnia referre ad Episcopum, vel Vicarium generalem, à quibus dependent *Glos. in Clem. 2. de rescript. in verb. foraneum, & in*
68 *verb. referant*; ab ipsorum namque sententiis appellari potest ad Episcopum, vel ejus Vicarium generalem; non enim isti faciunt unum Tribunal cum ipso, sicuti facit Vicarius generalis *cap. super quæstionum de*
69 *offic. deleg.* Ex qua ratione optimè DD. inferunt Vicarium foraneum non habere jurisdictionem ordinariam, sed solùm ab Episcopo delegatam *Glos. in dicta Clem. verb. Foraneo, & Fagnan. in cap. relatum nu.43. de Cleric. non residen.*

70 Jam verò si objerit Episcopus debet Capitulum infra octo dies ab ejus obitu novum Vicarium constituere, vel præexistentem confirmare, qui dicitur *Vicarius Capitularis*,& deputare OEconomum, qui curā habeat redditiuum,& proventuum Mensę Episcopalis, aliàs eo negligente Metropolitanus eligere potest; sique Ecclesia vacans sit ipsamet Metropolitana, vel sit Ecclesia exempta ab Episcopi jurisdictione, & Capitulum negligens fuerit, tunc antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Episcopus in exempta Vicarium, & OEconomum constituere poterit. Ità disponit *Conc. Trid. sess.24.c.6. de reform.* Ratio autem dispositionis est, quia mortuo

 Episco-

Epiſcopo devoluitur ad Capitulum juriſdictio Epiſcopalis *cap. unic. & ibi Gloſ. de major. in 6.*

71 Quod ſi intrà gremium Capituli reperiatur idoneus,cœteris paribus præferendus eſt extraneis, cœterùm non eſt neceſſe, quod in Vicarium eligatur,ut ſenſit *Quarant. in ſumma Bullar. verb. Capitulum Sede vacante num. 6.*

72 Sunt etiam, & alii Vicarii. Vicarius ſcilicet Papæ in Urbe, habens juriſdictionem à Romano Pontifice non ſolùm in Urbe, prout aſſerit *Text. in cap. ſua de offic. Vicarii*, ſed etiam in tota Diœceſi Romana in Clericos, & Religioſos non exemptos *Tholoſan. libro 47. ſyntagm. Jur. cap. 35. num. 9.* & plura de ejus poteſtate tradit *Azor. part. 2. Inſtitut. Moral. lib. 5. cap. 39.* quamvis nequeat intrà Urbem Beneficia conferre *Garz. de benef. part. 5. cap. 8. num. 182. & ſeqq.* vel promovere ad Ordines ſubditos aliis Epiſcopis abſque eorum litteris dimiſſoriis *Abb. in cap. pen. n. 5. de offic. Vicar.* neque poſſit cognoſcere de cauſis ſub titulis Cardinalium, qui in Eccleſiis ſuorum titulorum quaſi Epiſcopalem habent juriſdictionem. Ità *Fagnan. ad cap. his quæ de majorit. & obed. num. 17.*

73 Adſunt etiam Vicarii quidam,qui dicuntur *Apoſtolici*, miſſi ſcilicet à Sede Apoſtolica ad regendam aliquam Diœceſim, vel quia Epiſcopus fuerit ob aliquod grave motivum ab adminiſtratione remotus, vel ex alia cauſa ipſi Pontifici bene viſa.

74 Supereſſet addendum de Legatis Sedis Apoſtolicæ, ſed illos attingemus aliqualitèr agentes de Beneficiis.

TITU-

TITULUS VII.

De Conciliis Ecclesiasticis.

1 Exposita Hierarchia Ecclesiastica per singulas ejus partes, eam etiam collectim sumptam, veluti in unum in Conciliis redactam non pigeat intueri.

2 Concilium, cujus etymologiam à *concalando* id est *convocando* deducit *D. Isidorus in Can. Canones §. Synodus distinct.* 15. *juxta illud Virgilii*

Conciliumq; vacat Divum Pater, atq; hominum Rex.

3 Si strictè à nobis sumatur, prout Ecclesiasticum Conventum importat, jactat originem suam à *Deuteron. cap.* 7. ubi sermo habetur de Concilio Sanedrim Hæbreorum, & à Christo Domino indicatum fuit *Marci* 8. *Lucæ* 9. *Matthæi* 6. *&* 18. ubi ait *Si duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

4 Quatuor autem sunt ejus species. Primum dicitur *Generale*, seu *OEcumenicum* à verbo græco *OEcumene*, quod significat Universum Terrarum Orbem; est enim illud, ad quod Summi Pontificis jussu convocantur omnes Præsules totius Orbis, prout fuerunt Nicænum, Chalcedonense, Ephesinum, Tridentinum, & alia plura his similia.

5 Secundum dicitur *Nationale*, quod convocant Primates, vel Patriarchæ ex Metropolitanis, & omnibus Episcopis suorum Patriarchatuum, vel Primatuum.

Talia fuerunt Concilia Aquilejensia, Antiochena, Gallicana, Toletana, Carthaginensia &c.

6 Tertium dicitur *Provinciale*, quod à Metropolitano ex Episcopis suæ Provinciæ convocatur ad ejusdem Provinciæ utilitatem, cujus origo legitur in ipsis Actis Apostolorum; quando Paulus Miletum convocavit omnes Ephesinæ Provinciæ majoris natu.

7 Ultimum dicitur *Episcopale vel Synodus Diœcesana*, ad quam ab Episcopo convocantur omnes Abbates, Parochi, & Presbyteri totius Diœcesis.

Tres autem sunt conditiones ad generale Concilium requisitæ.

8 Prima, quod fiat mandato, vel approbatione Pontificis *Can.* 1. 2. *& seqq. distinct.* 17.

9 Secunda, ut illi Pontifex per se, vel per suos Legatos intersit *Can.* 2. *&* 6. *d. distinct.*

10 Tertia, quod evocatio Episcoporum sit generalis per totum Orbem, quamvis interim omnes evocati non adveniant; omnes enim convenire est res impossibilis, nec censendum est ad impossibile adstrictam fuisse Ecclesiam à Sponso suo Christo. Ratio autem hujus tertiæ conditionis est, tùm quia nisi omnes Episcopi evocantur, non erit Concilium generale, tùm quià, quod omnes tangit ab omnibus debet approbari; omnes autem tangit causa Fidei, & Religionis, quæ in OEcumenico Concilio discutitur, tùm etiam quià ad Concilium Provinciale sunt vocandi ab Archiepiscopo omnes Episcopi totius Provinciæ *decis.* 18. *per tot.* ergò ad Concilium generale omnes Episcopi totius Orbis, cum Papa dicatur Archiepiscopus Orbis, & ejus Provincia sit Mundus totus *Can. ult. distinct.* 25.

11 Gravissima tamen, & magni momenti quæstio hic

moris

moris est insurgere: An Papa sit supra Concilium generale, vel potiùs illi subsit.

12 Et censeo veritati unicè consonam, ac Catholicæ Fidei consentaneam sententiam asserentem. Romanũ Pontificem esse suprà Concilium generale: Ita prætermissis Theologis penè innumeris sentiunt inter Jurisprudentes *Gonzal. in cap. significavit, de electione à num. 15. usque ad 22. ibique Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 2. à num. 38. Navar. lib. 1. Consilior. tit. de constitut. cons. 1. num. 4. Franciscus Turrianus in tribus libris, quos de hac quæstione scripsit, Campegius de Romano Pontifice cap. 22. & seq. Gravina de Catholicis præscript. tom. 4. part. 2. disput. 1. art. ult. dub. 1. Martha de jurisdict. 3. part. cap. 17. Caranza in summa Conciliorum controvers. 3. Solorzanus tom. 1. de Jur. Indiar. lib. 3. cap. 7. num. 37. Duvalius Professor Sorbonicus in tract. de Pontif. 2. part. quæst. 1.*

13 Dixi præfatam sententiam esse Catholicæ Fidei consentaneam, nam Sa. Me: Alex. VIII. hanc propositionem damnavit: *Futilis, & totiès convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium OEcumenicum authoritate, atque in Fidei quæstionibus decernendis infallibilitate*: quæ propositio est 29 *inter damnatas à memorato Pontifice 7. Decembris Anni* 1690.

14 Seligam igitur aliquas ex fusissimis probationibus à relatis DD. lato calamo congestis, easque strictè & summatim proponam.

15 Probatur igitur primo. Pontifex est caput Ecclesię universalis; ipsi enim dictũ fuit à Christo *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, ergo non debet esse inferior Ecclesia repræsentata per Concilium generale, aliàs caput esset inferius corpore ipsi subjecto.

Ante-

16 Antecedens patet ex *cap. fundamenta de electione*
in ſexto, *cap. antiqua de privil. cap. unico de renunciat.*
in ſexto, *cap. licet de conſtit. in ſexto*, *Can. in iſtis di-*
ſtinct. 80. *Can. non licet*, *& Can. præceptis diſtinct.* 12.
Can. quis neſciat diſtinct. 11. *Can. rogamus*, *& Can.*
cum beatiſſimus 24. *quæſt.* 1.

17 Probatur ſecundò. Prima ſedes à nemine judica-
tur *Can. nemo*, *Can. aliorum*, *& Can. facta* 9. *quæſt.* 3. *&*
Extrav. unam Sanctam de majorit. & obed. ergo &c.

18 Probatur tertiò. A Papa non appellatur ad Conci-
lium *Can. cuncta* 9. *quæſt.* 3. ſed benè à Concilio ad
Papam *Can. patet*, *Can. ipſi ſunt* 9. *quæſt.* 3. ergo &c.
quia appellatio debet ſemper fieri à Judice inferiore
ad ſuperiorem. Antecedens liquet ex variis etiam
19 hiſtoriis; Conſtat enim ex *Epiſt.* 25. *Leonis Papæ ad*
Theodoſium Auguſtum, Flavianum Epiſcopum Conſtan-
tinopolitanum appellaſſe à Concilio Epheſino ſecun-
20 do, ad ipſum Leonem *Liberatus in breviario cap.* 12.
refert Theodoretũ Epiſcopum Cyri ab eodem Conc.
appellaſſe ad eumdem Pontificem, & innumeræ hu-
juſmodi hiſtoriæ paſſim leguntur apud Scriptores Ec-
cleſiaſticos.

21 Probatur quartò. Concilia valent, roburque acci-
piunt, quatenus à Pontifice confirmantur *Can. multi*,
& Can. Concilia diſtinct. 17. *Can. in nomine diſt.* 24.
cap. ad Apoſtolicæ de re judic. in ſexto, *& cap. ſignifi-*
caſti de electione, hocque noviſimè docuit *Concilium*
Tridentinum generale ſeſſ. 25. petens confirmationem
ſui à Romano Pontifice, & poſt finem Concilii adeſt
Bulla confirmatoria Pii IV. ſed omne, quod tribuit
eſſe, & dat formam alteri eſt ſuperius eo, cui eſſe
tribuit; ergo &c.

22 Probatur ultimò. Papa ſæpè ſæpiùs mutat ea, quæ à
Conci-

Concilio statuta fuerunt *cap. non debet de consanguin. & affinit. & cap. statutum de rescript. in sexto*; quod si esset inferior facere nequiret *cap. cum inferior. de*

23 *majorit. & obed.* Faciunt exempla Concilii Chalcedonensis, in quo Dioscorus, qui Leonem Papam excommunicare ausus fuerat, sine ulla restitutionis spe fuit condemnatus, ut videre est *in Can. in tantum*

24 *distinct.* 21. & constat *ex gestis octavæ Synodi* Photium Patriarcham, qui Concilium generale absque consensu Romani Pontificis evocare præsumpserat, à Papa condemnatum fuisse.

25 Ita patet etiam de Concilio generali Ariminensi damnato à Liberio Papa; de secundò Ephesino damnato à Leone, de Synodo Constantinopolitana Quinisextà nunquam à Sergio Papa recepta; de secunda Constantinopolitana à Pontificibus emendata &c.

26 Obiicies tamen primò. Matthæi *cap.* 18. Christus Apostolis ait: *Si peccaverit in te frater tuus vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum, si autem te non audierit adhibe adhuc tecum unum, vel duos, quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Ergo ultimum Tribunal, ad quod recurri potest, est Ecclesia, quæ per Concilium generale repræsentatur, majus autem Tribunal ultimum est.

27 Respondeo, facillimè ibi Christum alloqui omnes Apostolos, & alloqui Petrum priusquàm ei sui gregis curam commisisset, ut unum ex Discipulis, & fidelibus, eosque instruere circa correctionem fraternam, & dicere, quod si frater tuus peccaverit, tuæque fraternæ correctioni non acquieverit, denunciare illum debeas Pastori, seu Episcopo proprio, qui ibi venit nomine Ecclesiæ, quia hanc repræsentat. Ita sentiunt

S. Joan-

S. Joannes Chrisostomus hom. 61. in Matth. Albertus Magnus in Matth. 18. D. Thomas in quartum dist. 19. & 22. quæst. 24. & Innoc. III. in cap. novit. de judic. Quod evidentissimum fit, quia ibi Christus nomine Ecclesiæ omnes eos intelligit, qui habent in Ecclesia potestatem ligandi, & solvendi; illicò enim post recensita verba subdit: *Amen dico vobis quæcumque al.*
28 *ligaveritis super Terram &c.* Aliàs si ibi nomine Ecclesiæ veniret Universalis per OEcumenicum Concilium repræsentata, dicendum esset, quod quotiès aliquis reus esset furti, homicidii, adulterii, vel similis culpæ gravis, & in nequitiæ luto obstinatè volutaretur, cogendum semper foret Concilium generale, & ejus definitio expectanda ad damnandum peccatorem obduratum.

29 Obiicies secundò. Primùm Concilium generale Hierosolymis ab Apostolis congregatum sic scribit ad fideles *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*, ut liquet *ex cap. 15. Act. Apostolic.* ergo Concilium ibi non definit nomine Petri, sed nomine suo; ergo est suprà Petrum.

30 Respondeo hanc fuisse formulam omnium Conciliorum, etiam novissimè à Tridentino servatam, definiendi nomine proprio, nec ideo tamen excluditur authoritas Papæ primas partes in Concilio gerentis, sicuti cum dico *Petrus currit*, non excludo influxum capitis, quamvis de capite mentionem non faciam. Et
31 reverà in objecto Concilio Hierosolymitano plura supremæ suæ potestatis Indicia præbuit Petrus, dùm primus sententiam dixit, præscripsit quod definiri debebat, vota discordantia composuit, & veluti pronunciato oraculo silentium omnibus indixit, ut videre est locum citatum legenti.

Obiicies

32 Obiicies tertiò. Concilium Conſtantienſe, quod *ſeſſ.* 4. & 5. declaravit Concilium habere immediatam poteſtatem à Chriſto, cui quilibet etiamſi Papalis Dignitatis exiſtat obedire tenetur, & *ſeſſ.* 15. omnes cujuſcumque Dignitatis etiam Papalis, qui venientes ad Concilium impediant, excommunicat.

33 Reſpondeo, prout exponit *Cardinalis Sfortia Pallavicinus in ſua hiſtoria Concilii Tridentini* d. Concilium Conſtantienſe celebratum fuiſſe tempore, quo non regnabat in Eccleſia legitimus Pontifex, & ad tollendum graviſſimum Schiſma trium, qui ſe pro Pontificibus gerebant nempe Joannis XXIII. Gregorii XII. & Benedicti XIII. in caſu autem, quo Pontifex ſit dubius Concilium prævalet Pontifici, ut infra videbimus; Et in hoc rerum ſtatu optimè definivit, quod ejus decretis quilibet teneretur obedire, hanc enim definitionem in citatis ſeſſionibus fecit his verbis = *Cui* (ideſt Concilio) *quilibet cujuſcumque ſtatus, Dignitatis, etiam ſi Papalis exiſtat, obedire tenetur* [adverte quæſo verba ſequentia] *in his, quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem dicti Schiſmatis, reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris*. Certum eſt autem generale Concilium habere authoritatem jure Divino ipſi conceſſam ad tollendum Schiſma, legitimumque Pontificem declarandum, ut explicat *Card. Turrecr. in Summ. lib.* 2. *c.*99. *Cajetanus tom.*1.*Opuſc.*1. *de authorit. Papæ cap.*16. §. *Concilium perfectum*, *Marth. de Juriſdict.* 3. *parte cap.* 17. *num.*7. *Valentia* 2.2. *diſp.*2. *quæſt.* 1. *puncto* 7.§. 45. *ad ſextum*, *Salas de legib. quæſt.* 95. *tract.* 14. *diſput.* 8. *ſect.* 14. *num.* 73.

34 Et defacto illicò poſt celebratam Canonicam electionem Martini V. in Pontificem, nihil ampliùs ſuo

nomine Concilium statuit, sed nomine electi Pontificis, ut videre est ex *ejus sess.* 42. quæ est prima post electionem Martini, *& seqq.* & *sess. ultima* definivit suspectos esse Hussiticæ hereseos, qui hanc propositionem assererent = *Papa canonicè electus canonicè successor Petri, nec habet in Ecclesia Dei supremam authoritatem.*

35 Petiit demum sui confirmationem à Martino Quinto per Oratores Regis Poloniæ, sed Pontifex noluit Concilium confirmare, nisi in iis, quæ conciliariter decreverat, contra Vvicleffum, & Hus hæreticos à Concilio damnatos, in reliquis autem confirmationem denegavit, ut videre est ex actis ejusdem Concilii *sess.* 45. En igitur Concilium hoc, quo impugnare satagebant Adversarii nostram assertionem evadit validissimum ejusdem propugnaculum, ex quo Martini Quinti, ideſt Romani Pontificis potestas supra Concilium generale evidentissimè eruitur.

36 Obiicies quartò. *Concilium Basileense, quod sessione* 2. definivit Concilium esse supra Papam, & *sessionibus seqq.*

37 Quid plura? Pudeat Conventiculam hanc seditiosam Concilium à Catholicis dici, licèt enìm legitimè à Martino Quinto dictum Concilium congregatum fuerit, cum posteà illud Bononiam transferri jussisset ejus successor Eugenius Quartus, aliqui ex Patribus ambitionis impulsu, & odio ergà Pontificem ducti è legitimo Concilio latrocinium, & Conciliabulum impium reddiderunt. Excommunicarunt siquidem Eugenium, illum Pontificatu exuerunt subrogantes in locum Idòlum quoddam sub nomine Fælicis V. Amadæum scilicet Sadaudiæ Ducem, & suorum adjutorum ope armata manu, Romam adjerunt, Capitolium occupa-

occuparunt, Pontificem in Palatio ſtricta obſidione detinuerunt. Quid mirum igitur ſi perditiſſimi homines in tot probra, & ſacrilegia faciles Concilium Romano Pontifice ſuperius aſſeruerint?

38 Nec officit Eugenium dictum Concilium, ut legitimè convocatum, approbaſſe, prout legitur *in Conc.*
39 *præfati ſeſſ.* 16. Hoc enim invalidè, ac nullitèr fecit, utpotè metu graviſſimo adductus, qui voluntatis liberum arbitrium tollit, vel ſaltem notabilitèr minuit. Audi *Eminentiſſimum Turrecrem.* qui dicto Concilio interfuit *lib.* 2. *ſummæ de Eccleſ. cap.* 100. *Andreas Venetus Dominii Venetorum tunc Orator, & aliqui Domini Cardinales tunc apud Dominum Eugenium præſentes, timentes futurum magnum ſcandalum in Eccleſia, minati ſunt privato Domino Eugenio, quod niſi Bullas illas adhæſionis concederet, ipſum ſolum recedentes relinquerent. Unde præfato Domino in lecto decumbente, præfati Domini referuntur Bullas illas taliter, qualitèr expediviſſe, & miſiſſe Baſileam.*

40 Poſteà enim errore cognito Eugenius Concilium celebre Florentinum Florentiæ indixit, illudque Baſileenſi oppoſuit, donec Fœlix V. Antipapa relicto Papatu Eugenium adoravit, eique Concilium ſubmiſſum fuit, quod Nicolaus V. Eugenii Succeſſor approbavit ſolùm in aliquibus, quæ circà Beneficia, & cenſuras ſtatuta fuerant, in reliquis nec ipſe, nec ullus Pontificum confirmare unquam voluit; imò in *Concilio Lateranenſi ultimo ſeſſ.* 11. fuit declaratum Schiſmaticum, ſeditioſum, & nullius momenti. Conſule latè hæc enucleantem *Eminentiſſimum Bellarm. lib.* 2. *de Conciliis cap. fin. & lib.* 3. *de Eccleſ. cap.* 36. Pudeat igitur Adverſarios argumentorum, quibus nos aggrediuntur, dum illorum Achilles Schiſma eſt.

41 Obiicies quintò. Text. in *Can. legimus dist.* 93. in quo D. Hieronymus sic ait *Si authoritas quæritur, Orbis major est Urbe.* Ergo authoritas Concilii generalis, quod totum Orbem Christianum ræpresentat major est authoritate Pontificis.
42 Respondeo ibi Hieronymum non loqui de Pontifice, vel Ecclesia, sed calamum stringere in superbos Diaconos quosdam, qui Romæ ratione administrationis bonorum Ecclesiasticorum, quam habebant elato supercilio Presbyteris se exequabant, quosque jam dudum *Concilium Nicænum Can.* 17. Præsbyteris declaraverat inferiores, & *Concil. Cartaginense sextum Can.*18. illis igitur inquit S. Doctor, non ex eò quia Romæ hic abusus invaluisset, Diaconos Presbyteris esse æquales, cum in reliquis Mundi partibus Diaconi Presbyteros venerentur, & colant; & in hoc sensu solùm dicere intendit, quod si quæratur authoritas, Orbis major sit Urbe.
43 Obiicies sextò. *Text. in Can. confidimus, Can. contra, Can. prima salus, & Can. Ideo* 25. *quæst.*1. in quibus dicitur Sacrorum decreta Conciliorum. *Nullam magis exequi sedem quam primam oportere* ergo &c.
44 Respondeo. Vel ibi sermonem esse de iis, quæ à Conciliis statuta fuerunt, ut ad Jus divinum, & naturale pertinentia, vel si sermo sit de illis, quæ sunt meri Juris humani, nihil aliud velle possunt objecti Canones, quam quod Papa ligetur illis, quoad vim directivam, non verò quoad coactivam, ut ostendi ubi de Romano Pontifice differvi, aliàs dicendum esset Romanum Pontificem non solùm Statutis Conciliorum generalium, sed etiam particularium, & Sanctorum Patrum subiacere.
45 Obiicies septimò. *In Can. sicut sancti dist.* 15. dicitur

tur Papam non posse solvere quos quinque Concilia OEcumenica ligarunt, aut ligare quos illa solverunt.

46 Respondeo. Sermonem ibi esse tantum de illis hæreticis, quos ea Concilia damnarunt; nequit enim Pontifex facere, quod non sit hæresis, quæ est, aut sit verum, quod non est. Hoc autem non est, Papam non esse supra Concilium, sed non esse supra Deum, vel supra fidem.

47 Obiicies octavò Exempla plurium Pontificum à Concilio, imò etiam ab Imperatoribus damnatorum. Marcellinum judicavit Synodus Sinuessana quod Idolo Vestæ Thus adolevisset, Constantius Liberium, Justinianus Sylverium proscripsit, Otho Primus in Concilio Romano Joannem Duodecimum expulit Leone Octavo suffecto, Henricus tertius Gregorium Sextum deposuit.

48 Respondeo. Sinuessani Patres examinarunt quidem, & meritò Marcellinum, eo quia Idolis thus incenderat, nemo autem illum condemnare ausus fuit, hac ratione, quià prima Sedes à nemine judicatur juxtà *Text. in Can. nunc. autem distinst.* 21. & patet

49 *ex actis ejusdem Concilii tom.* 1. *Conciliorum* Constantius Imperator Arrianus Liberium, & Theodora Augusta Sylverium eo Jure in exilium egerunt, quo Nero Martyres persecutus fuit Juxtà *Baronium ad Annum Domini* 538.

50 Joannes verò Duodecimus Pontifex potiùs toleratus, quàm factus [quia cum esset Alberici potentissimi Romanorum Patritii filius duodeviginti annos natus, in Papatum irrupit potentiæ, & opibus innixus (cum promissam Othoni amicitiam violasset adjungendo se Adalberto Berengarii filio Othonis hosti, invalide licèt, & sacrilegè fuit in Synodo ab

Otho-

Othone nullitèr coacta Papatu exutus, quod impium attentatum, fuit in alia Romana Synodo damnatum, & à Clero Romano, & Cardinalibus Benedictus V. fuit legitimè in Pontificem renunciatus.

51 Gregorium VI. aliqui sentiunt non fuisse verum Pontificem; cum tres eo tempore sibi Pontificatum vindicarent, seù [quod alii ut veriùs sequuntur) cum Gregorius timeret ex una parte Henricum hostem armatum, & implacabilem, ex altera verò immineret schisma, spontè Papatu abiit.

52 Hæc igitur exempla nil contra nos evincunt, quia sunt de Pontificibus, vel intrusis, vel dubiis, vel spontè cedentibus, vel per Tyrannidem ejectis.

53 Obiicies nonò. Papa est minister Ecclesiæ; *prima ad Corinth.* 4. *& Matth.* 20. nec Ecclesia est propter Papam, sed Papa propter Ecclesiam; ergo est inferior Ecclesia, quæ per Concilium generale repræsentatur.

54 Respondeo, genus ministerii non importare semper subiectionem. *Paulus* enim *prima ad Hebreos* vocat Angelos missos in ministerium propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, & tamen nemo dixerit Angelos esse inferiores hominibus. Et hoc ipsum exigit bonum Ecclesiæ ut ea sit infra Papam, ne pluribus sed uni subsit; sicuti Gubernator est propter navigantes, Dux propter Exercitum, & tamen nec Dux subest Exercitui in eo ducendo, nec Gubernator navigantibus in regenda Navi.

55 Ulteriùs. Quando Christus posuit Pontificem propter Ecclesiam, intellexit de Ecclesia à suo Capite non separata; ab eo enim separata Christo placare nequit, utpotè necessario importans confusiones, & schismata.

56 Obiicies decimò. Papa est membrum Ecclesiæ; sed omne totum est majus sua parte ergo &c.

Respon-

57 Respondeo. Papam quà hunc hominem Christianũ, esse membrum Ecclesiæ, qua Papam esse caput illius, in quo omnis plenitudo potestatis Ecclesiasticæ à Christo collocata est, quæ postea in Ecclesiam derivatur *Can. Sacrosancta distinct.* 22. *Can. qui se scit.* 2. *quæst.* 6. *Can. decreto* 6. *qu.* 6. sicuti quamvis in corpore humano Caput sit membrum corporis, tamen ipse influxus gubernativus, & directivus residet totaliter in Ca-
58 pite, à quo veluti Fonte in reliquum corpus derivatur. Deindè etiam Christus vocatur *ab Apostolo prima ad Corinth. cap.* 12. membrum Ecclesiæ. Ibi *Vos estis corpus, & membra de membro*, & tamen hæreticum esset dicere Christum Dominum non esse super Ecclesiam. Ità pariter Pontifex dici potest Filius Ecclesiæ, quatenùs ab ea per baptismum regeneratus ad gratiam, sed quatenus Pontifex est, dicitur Ecclesiæ Pater in *Can. quorum vices dist.* 68. *& à D. Bernardo*
59 *in Epistola ad Civitatem Pisanam*. Nèc semper valet. hæc consequentia: *Est mater, ergo est superior filio*; Christus enim etiam fuit Filius Beatæ Mariæ Virginis, & tamen non nisi blasphemus, & hæreticus diceret hanc Matrem esse superiorem Filio.

60 Obiicies ultimò. *In Can. sanè* 24. *quæst.* 2. Dioscorus Romanorum Papa etiam post mortem damnatus fuit; ergo &c.

61 Respondeo. Dictum Dioscorum fuisse damnatum à Concilio Chalcedonensi, eo quia in Leonem summum Pontificem excommunicationem jaculari ausus fuerat, dici autem Papam Romanorum, non quia esset successor D. Petri & Summus Pontifex, sed quia erat Patriarcha Constantinopolis, quæ nova Roma dicta fuit *Can. Constantinopolitanæ distinct.* 21. & notat *Tholosan. lib.* 15. *Syntagm. cap.* 5. *num.* 4. ubi *cap.* 2. *num.*

num. fin. advertit Papæ nomen apud Græcos, non solum Patriarchis, sed etiam Episcopis commune fuisse.

62 Sunt tamen aliqui casus, in quibus Papæ Concilium generale prævalet.

63 Primò. Si Papa hæreticus evadat *Can. si Papa distinct. 40. Can. oves 2. quæst. 7. Can. Novatianus 7. quæst. 1. Canon. Achatius, & Can. audivimus 24. quæstione 1.* Quia cum Papa per hæresim desinat esse membrum Ecclesiæ, nequit esse caput illius; Ideoque Christus non tradidit Petro Primatum, & Claves Regni Cœlorum, nisi post iteratam Fidei professionem ab ipso exactam, ut liquet *Matth. cap. 16.*

64 Secundus Casus est, si Papa esset dubius, puta quia tempore schismatis plures sibi Papatum vindicarent, nec constaret quis esset legitimus Pontifex Conciliũ enim tunc posset omnes deponere cum de omnibus æquè dubitetur. Ità *Concil. Constantien. sess. 4. & 5.* Nec tunc dicitur exercere jurisdictionem in Papam, quia Papa dubius non est Papa, cum idem in Jure sit non esse, & non apparere *l. duo sunt ff. de testam.*

65 Tertius est, si Papa injustè aliorum bona invaderet, leges injustas ferret, vel alio quovis modo Ecclesiam distruere niteretur, tùnc non enim corrigi, & fieri resistentia ei posset, quia tunc diceretur in illum exerceri jurisdictio, sed tantùm justa defensio, quæ de jure naturæ omnibus est permissa *tota caus. 25. qu. 1. Turrecr. lib. 2. summ. cap. 106. Bellarm. de Concilior. auth. lib. 2. cap. ult. ad 2. argumentum.*

66 Quartus Casus esset, si aliqua Fidei gravis causa decernenda esset, eamque absque Concilio universali definire non expediret publico bono Ecclesiæ; tùnc enim Papa teneretur Concilium adhibere. Ita *D. Cyprian.*

prian. lib. 2. *Epist.* 1. *ad Stephanum, & D. Augustinus lib.* 1. *de bapt. contrà* Donatistas *c.* 7. *&* 18. Ratio est, quia Christus promisit Pontifici Spiritus Sancti assistentiam in rebus Fidei decernendis, sed supposita omni diligentia, & sufficienti ac debita, ut par est, causæ discussione; sicuti Sacramentis novæ legis promisit Gratiam sanctificantem, sed adhibitis quibusdam necessariis conditionibus.

67 Quintus casus est si Papa fuerit invalidè electus, & in Papatum intrusus. Videatur *Conc. Constantien. sess.* 39.

68 Constat igitur nunquam Papam legitimum, qua Papa est, posse à Concilio judicari; Dubius enim intrusus, hæreticus &c. non est verus Papa, imò nec verus Christi fidelis. Constans igitur viget sententia relata à *Bonifacio Octavo in Extrav. unam sanctam de majorit. & obed. Si deviat terrena potestas, judicabitur à potestate spirituali, sed si deviat spiritualis minor, à suo superiore; si vero suprema à solo Deo, non ab homine poterit judicari.*

69 Vidimus ergò abundè satis Papam Superiorem esse Concilio OEcumenico; secus autem se res habet quoad Archiepiscopum, qui quamvis habeat primam Sedem in Concilio Provinciali à se convocato, tamen non est ipso Superior, ab eo enim judicari, excommunicari, & puniri potest, nisi tamèn agatur contra illum de causis majoribus, & Sedi Apostolicæ reservatis, prout fortè erat causa, de qua agitur *in cap. grave de præbend.* Ità *Navarr. cons.* 6. *de majorit. & obed. lib.* 1. *Sanch. lib.* 8. *de matrim. disputat.* 17. *n.* 36. adeòque non potest revocare, nec dispensare quoad Concilii decreta, imò ab Archiepiscopo ad Concilium Provinciale, tanquam ab Inferiore ad Superiorem potest interponi appellatio *Glos. fin. in cap. pen. de appellat. in* 6. *& Navarr. loc. cit. n.* 4.

70 Ex novissimo Tridentini decreto *sess.* 24. *cap.* 2. *de reform.* debet quolibet triennio Archiepiscopus, & eo impedito Episcopus antiquior cogere Concilium Provinciale, ad quod convocandi sunt omnes Episcopi Suffraganei, qui habent in illo vocem decisivam, & alii Prælati Episcopis inferiores, habentes tamèn in suis locis jurisdictionem quasi Episcopalem, prout sunt plures Abbates, & Priores; Et antiquitùs litteræ, quibus tales Episcopi monebantur, ut ad Concilium accederent dicebantur *tractoriæ*, ut videre est ex *Aug. Epist.* 15. *& Baron. tom.* 1. *ad Annum* 142.

71 Ulteriùs *Tridentinum loc.cit.* jubet Episcopum quovis Anno debere celebrare Synodum Diœcesanam, ad quam cogere debet Presbyteros Parochias habentes, Archipresbyteros rurales &c. etiàm per censuram Ecclesiasticam, ut inibi videre est.

TITULUS VIII.

De Clericis Beneficiatis.

1 TERTIAM jam Clericorum divisionem accipe, in Beneficiatos scilicet, & non Beneficiatos.

2 Sub primis namque vagientis adhùc Ecclesiæ crepundiis laudabili more Fideles omnes pretia rerum suarum ad pedes Apostolorum deferebant, ex quibus in communi viventes alerentur 4. *Act. Apost. & Can. dilectissimi* 12. *quæst.* 1.

Post-

3 Poſtmodum verò amplioribus ſpatiisReligione propagata, nec fidelium tantùm, ſed, & Clericorum numero aucto, Anno Chriſti 467 S. Papa Simplicius univerſa Eccleſiæ bona in quatuor partes diviſit, primam Epiſcopo aſſignans, ſecundam Fabricæ, tertiam Clericis, quartam Pauperibus, itaut inter Clericos tertiam partem pro meritis ſingulorum Epiſcopus diſtribueret, ut liquet *ex Can. vobis*, *Can. de redditibus*, *Can. Vulteranæ*, *Can. quatuor* 12. *quæſt.* 2. & *Can. Præſulum* 16. *quæſt.* 3.

4 Antiquata tandèm etiam fuit quadripartita hæc diviſio, nàm portio pauperibus aſſignata ceſſit Epiſcopo cum onere alendi pauperes, & Clericis aſſignata paritèr ceſſavit; conſtituta ſiquidèm fuit in certum, & determinatum redditum ipſis Eccleſiaſticis officiis, quibus addicti haberent jus abſque ulla Epiſcopi authoritate dd. redditus percipiendi, iiſque tanquam bonis propriis utendi, & fruendi, quod jus cum ſpirituali miniſterio conjunctum dictum fuit *Beneficium Eccleſiaſticum*, hujuſque nominis prima mentio habita fuit Anno Chriſti 813. *in Conc. Moguntino* relato *in cap.* 1. *de Eccleſ. ædific.*

5 Cùm enim veteres Imperatores in uſu habuiſſent Militibus illis, qui in Acie dimicantes aliquid præclarum geſſerant, prædia quædam, & poſſeſſiones concedere, quibus remunerationibus allecti, ad præclariora præſtanda aptiores redderentur, & hæc prædia *Beneficia* dicta fuerint, militeſque ea poſſidentes, *Beneficiarii*, ut conſtat ex *Vegetio lib.* 3. *de re milit. Cæſar. lib.* 1. *de bello Gallico*, & *Plinio lib.* 10. *Epiſt.* 28. meritò Eccleſia pro ipſa, & Chriſto Sponſo ſuo militantes, Clericos nempè, donare cupiens aliqua grati animi oſtentione, meritò (inquam) poſſeſſiones

ipsis assignatas Beneficia nuncupavit, eosque Beneficiatos; Beneficium siquidèm, Auctore *Seneca lib.* 1. *de Benefic. cap.* 6. est *benevola actio gaudium, vel honorem tribuans capienti*.

6 Alio nomine Beneficium *Præbenda* dicitur, quamvis per ipsam etiàm fructus Beneficii venire possint: Annonæ enìm, quæ militibus; vel Provinciæ Præsidi solvebantur, Præbendæ dicebantur à verbo *præbere*, & eas accipientes *præbendarii*, juxtà *Cujac. lib.* 2. *observ. cap.* 23. quod etiàm ad importandos redditus Sacris Militibus designatos transtulit Ecclesiâ *Can. si Monachus* 16. *quæst.* 1.

7 Definitur autèm communitèr Beneficium hoc Ecclesiasticum, *Jus perpetuum percipiendi redditus ex bonis Ecclesiasticis propter aliquod servitium spirituale, authoritate Ecclesiæ constitutum*.

8 Dicitur primò *Jus*, hoc est facultas legitima.

9 Dicitur secundò *perpetuum*, non quatenùs Beneficiatus quamdiù vivit debeat irrevocabilitèr habere Beneficium, sed quatenùs ipsum Beneficium ex se sit ità perpetuum, ut etiamsì Beneficiatus moriatur, vel ei ex legitima causa Beneficium auferatur, adhuc non extinguatur Beneficium, sed solùm vacet, & careat possessore. Vide *Garz. de benef. part.* 1. *cap.* 2. §. 1. *num.* 79.

10 Dicitur tertiò *percipiendi redditus ex bonis Ecclesiasticis*, quià qui Altari servit de Altari vivere debet; nemo enìm cogitur suis stipendiis militare, ut ait *Apost.*

11 Dicitur quartò *propter aliquod servitium spirituale*; Beneficium enìm datur propter officium, hoc est servitium Ecclesiasticum *cap. ult. de rescript. in* 6. puta ob recitationem horarum Canonicarum &c.

Dici-

12 Dicitur ultimò. *Authoritate Ecclesiæ constitutum*, tum quia Beneficia sunt de Jure Ecclesiastico, & non Divino; tum etiàm quia non censetur Beneficium Ecclesiasticum, quod ab Episcopo, vel alio legitimo Superiore alteri collatum non fuerit, juxtà *primam regulam Juris in 6.* adeòque à ratione Beneficii excluduntur Cappellaniæ etiàm perpetuæ non collativæ, quia ad illas assequendas non requiritur Episcopi collatio, quæ necessariò requiritur ad constituendum Beneficium Ecclesiasticum. Ità *Rebuff. in prax. tit. quare instituta sint Beneficia num.* 10.

13 Dividuntur autèm primò Beneficia in sæcularia,& regularia. Sæcularia sunt,quæ Clericis non Religiosis, sed in Sæculo Dei servientibus conferri debent. Regularia è contra sunt,quę Regularibus competunt,
14 & per eos administrari debent.Quod adeò verùm est, ut Beneficium Sæculare nequeat conferri personæ Regulari, vel è contra *cap. cum de beneficio, & cap.*
15 *cum singula de præbend. & dignit. in sexto*. In dubio autèm Beneficium, quodvis censetur Sæculare, nisi contrarium probetur per literas erectionis, seu fundationis Beneficii,aut quod per 40. Annos àntequàm illud à Sæcularibus possideretur pacificè administratum fuerit, & possessum per Regulares *Navar. libro* 3. *cons.* 3. *de præbend. & dignit.*

16 Subdividuntur verò Beneficia tàm Sæcularia, quàm Regularia in duplicia, & simplicia. Duplicia sunt, quæ conferunt aliquam præeminentiam, jurisdictionem,vel administrationem. Simplicia verò,quæ nihil ex his conferunt, sed solam obligationem divina officia recitandi, vel frequentandi imponunt.

17 Beneficia Sæcularia duplicia sunt. Primò Dignitates,quę scilicet conferunt jurisdictionem in foro inter-

18 no, puta Archidiaconatus. Secundò Personatus, honor scilicèt, & præeminentia in Ecclesia absquè ulla jurisdictione, prout sunt Præpositurę Cathedralium, & Collegiatarum insignium, præsertìm in Germania.

19 Tertiò officium, administratio scilicet aliqua rerum Ecclesiasticarum absquè ulla præeminentia, vel jurisdictione in foro externo, puta Archipresbyteratus, vel Decanatus, aut Primiceriatus, qui Primicerius præest Diaconis, *ut ex cap. unic. de offic. Primic. &c.*

20 Cęterum in hac materia standum est usui locorum, & Ecclesiarum, nam alicubi confunduntur Personatus Dignitates, & officia, vel quod in una Ecclesia est Dignitas, in alia est Personatus &c. *Tholosan. de re benefic. cap.* 10. *n.* 18. Ultimò sunt Beneficia duplicia, Beneficia curata, quæ tamèn importent jurisdictionem in foro tantùm interno conscientiæ, prout sunt Parochiæ, Vicariæ perpetuę *Abb. in cap. de multa n.* 24. *de præben.*

21 Inter Beneficia Sęcularia simplicia primò recenseri debent Canonicatus Ecclesię Cathedralis, vel Collegiatę. Secundò Commenda perpetua Beneficii simplicis. Tertiò Beneficium Assisii, seu Mansionarii; illorum scilicèt, qui pręter Canonicos in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, portiones Ecclesiasticas accipiunt, quales fortè sunt illi, quos Romę vulgo dicimus *Beneficiati*, qui percipiunt redditus in Ecclesiis, sed minores illis, quos Canonici percipiunt. Et ultimò Capellanię in perpetuum authoritate Episcopi erectę. In dubio autem Beneficium præsumitur simplex, & non curatum: qualitas enìm non pręsumitur nisi probetur *Garz. de benef. part.* 1. *cap.* 6. *num.* 28.

22 Beneficia autèm regularia duplicia. Primò essent Abbatia, & Prępositura Regularis. Secundò Prioratus Conventualis, Prior scilicet Conventus Religioso-

rum

cum, qui Monachismum non profiteantur, de quo loquitur *Clem. 1. de rescript. ibiq. Glos. in v. Conventualem.* Tertiò Prioratus Claustralis, Conventus scilicèt Monacorum, de quo est sermo in *cap. cum ad Monasterium de statu Monachorum*, & *Clem. 1. eodem titulo*. Quartò. Officium Custodis, Procuratoris, & alia de quibus loquitur *capitulum citatum §. Tales autem*. Dicuntur autèm ista Beneficia duplicia, quià illa obtinentes duplici cura fungi debent, & circà personas, & circà res Monasterii *Rebuff. in prax. benef. in præmio tit. beneficia regularia*.

23 Simplicia autem essent Canonicatus regulares *Glos. in Clem. 2. v. beneficiis de judic. Rebuff. loc. cit. num. 6.* Et Capellaniæ in Monasteriis fundatæ, quæ præsumuntur regulares, nisi contrarium probetur *Rebuff. d. tract. tit. quotuplex sit beneficium num. 16.*

24 Altera jam Beneficiorum divisio est in manualia, & non manualia. Hæc sunt quæ in perpetuum titulum conferuntur, nec à Beneficiato sine justa, & gravi causa in Jure expressa auferri possunt *Can. præcepta distinct. 55. Can. satis dist. 56. & Can. 2. dist. 70.* Manualia verò sunt, quæ in titulum quidèm conferuntur, sed ad nutum conferentis auferri possunt. Talia ple-
25 rumque sunt Beneficia regularia, quæ ad nutum Superioris conferentis possunt auferri à Religioso. Tales solent esse Capellaniæ spirituales, & collativæ authoritate Episcopi constitutæ: si enim non sint collativæ, utpotè quia absque ulla Episcopi authoritate conferantur à Fundatore, vel ejus hæredibus, non sunt Beneficia Ecclesiastica, sed mera stipendia temporalia Capellanorum. Ità *Garz. de benefic. part. 1. cap. 2. §. 1. num. 81. & 82.*

26 Tertia Beneficiorum divisio est, quod alia sint col-

lati-

lativa, seu libera, quæ libera Collatoris voluntate conferuntur iis, quibus ipse voluerit, dummodò idonei sint. Alia sint electiva, quæ dari solent per electionem Capitularium, accedente posthac confirmatione Prelati Ecclesiastici. Et alia sint mixta, seu Patronata, quæ ad præsentationem Patroni à Prælato Ecclesiastico conferuntur *Garz. loc. cit. cap. 6. nu.* 14.
27 Quibus addi possunt Beneficia patrimonialia, quæ seu libera, seu ad præsentationem Patroni, conferri debent personis degentibus in tali Parochia, vel Civitate, quibus conferri voluit Fundator, & eo modo,
28 quo voluit conferri. Beneficium autem in dubio debet præsumi liberè collativum, non electivuum, vel patronatum, tum quià istæ sunt qualitates extrinsecæ, & accidentales Beneficio, quæ non præsumuntur; tùm etiàm quià per eas præjudicatur liberæ provisioni Prælati Ordinarii, ad quem spectat collatio.
29 Quinque autèm modis Beneficia acquiri possunt. Primò per collationem liberam. Secundò per electionem à Superiore confirmatam. Tertiò per præsentationem Patroni, quam sequatur institutio Collatoris. Quartò per resignationem in favorem cum sequuta collatione. Ultimò per permutationem, de quibus singillatìm in titulis distinctis sermonem habebo; Sit ergo primò.



TITU-

TITULUS IX.

De libera Collatione Beneficiorum.

1 COLLATIO libera est *Assignatio, seù concessio libera Beneficii vacantis facta ab habente potestatem*, puta ab Ordinario.

2 Rogabis autèm primò, an si Episcopus contulerit Titio Beneficium aliquod, & Titius illud acceptare differat, an, inquam, eo non acceptante possit Collator alteri Beneficium illud conferre.

3 Respondeo negativè, nisi in casu, quo Episcopus præfixerit Titio terminum ad acceptandum, eoque elapso Titius differat acceptare; Textus est apertus in *cap. si ibi de præbend. in 6. ibique Archid. Gemin. Joan. Andr. Anchar. & Barbos. num. 1. Vivian. in ration. lib. 3. pag. 80. Pirbing. in Jus Canonic. tom. 3. lib. 5. tit. 4. sect. 2. §. 2. n. 55. vers. notandum secundò.* Ratio est, quià per simplicem collationem, etiàm antè acceptationem, acquirit Beneficiatus jus in re in Beneficio, adeòque talis collatio non est amplius libera Episcopi, qui jam functus est officio suo.

4 Dices. Collatio libera Beneficiorum reputatur donatio *cap. consultationibus de donat.* sed donatio etiàm post consensum donatoris revocari potest, donec Donatarius eam acceptaverit per *Text. in l. sed si quis, & l. absenti ff. de donat.* ergo &c.

5 Respondeo Collationem Beneficiorum Ecclesiasti-

corum non esse propriam, & rigorosam donationem, cum non proveniat ex mera liberalitate Donantis; licèt enim sit donatio respectu personæ, cui confertur Beneficium, non est tamèn donatio ex parte conferentis, qui licèt non teneretur conferre Beneficium tali personæ, tamèn vigore officii, & potestatis Ecclesiasticæ, qua fungitur, tenetur indeterminatè alicui personæ conferre Beneficium, nec potest illud penès se retinere, sicuti antè donationem potest bona sua retinere donans *Barbos. in dicto cap. si tibi de præben. in sexto num. 2.*

6 Adverte tamèn Beneficiatum Beneficium sibi collatum posse acceptare per alium, puta Nuncium, vel Procuratorem habentem saltèm speciale mandatum in genere ad acceptandum Beneficium aliquod cum vacaverit; imò si alicui absenti, & ignoranti Beneficium collatum fuerit, aliusque ejus nomine tanquam negociorum gestor Beneficium illud acceptet, à die acceptationis acquiritur jus Beneficiato, dummodò subsequatur ejus ratihabitio, quæ supplet consensum *Laym. in cap. nonnulli §. Sunt, & alii de rescript. n. 5. Paris. de resign. benefic. lib. 10. quæst. 8. num. 34. Azor. part. 2. Instit. moral. lib. 7. cap. 23. quæst. 5.*

7 Rogabis secundò. Quid agendum sit in casu, quo Episcopus contulerit Beneficium, quod conferre non poterat.

Pro responsione distinguo tres casus.

8 Primò enìm si hanc impotentiam scivit Episcopus solus, & tamèn Beneficium contulit, tenetur evicto Beneficio, aliud Beneficium illi personæ conferre tùm in odium Episcopi, qui fraudulentèr egit, tùm in favorem Clerici, qui deceptus fuit *Textus est in cap. inter cætera de præbend. ibique DD. & Barbos. num. 1.*

Secun-

9 Secundò. Si Episcopus ignorabat hanc impotentiam, non tenetur de alio Beneficio tali Clerico providere, quià cessat fraus in Collatore, quæ est fundamentum decisionis *Text. in d. cap. inter. cætera*.

10 Et idem tertiò dici debet, si hanc impotentiam sciebat Episcopus, & Beneficiatus, quia in hoc casu dolus cum dolo compensatur, nec momentaneus iste Beneficiatus dici debet deceptus ab alio, sed à se ipso *Glos. fin. ad d. cap. inter cætera, ibique Abb. num. 9. & Pirhing. loc. cit. §. 3. per tot.*

11 Glosa tamèn in dicto *cap. in verb. assignavit*, obiicit ità. Donator, qui rem donatam tradidit, non tenetur de ejus evictione, ne ex sua liberalitate damnum sentiat; sed collatio libera Beneficii æquiparatur donationi; ergo &c.

12 Respondeo primò, jàm superiùs me dixisse collationem liberam Beneficiorum multum deficere ab essentia propriæ donationis.

13 Respondeo secundò, majorem esse falsam, quià etiam donator tenetur de evictione donatario, si sciens illi donavit rem alienam, ne ex dolo suo lucrum reportet *l. ad res ff. de ædilitio edicto, ibiq; Glos. in verb. de dolo*.

14 Rogabis tertiò. An Beneficium possit conferri sub conditione.

15 Respondeo, quod si conditio sit propria, utpotè collata in tempus futurum, sub ea facta collatio non substineatur, v.g. si dixerim *Confero tibi hoc Beneficium si intrà annum Sacerdos factus fuerit* = *cap. 2. de elect. in 6. ibique Glos. in verbo incerta*. Et ratio est quia collatio est actus legitimus, idest juxtà legis voluntatem factus: *Actus autem legitimi nec diem, nec conditionem admittunt*, sunt verba *Text. in reg. 50. de reg. Jur. in 6.*

16 Si autem conditio sit impropria, col-

 lata

lata scilicèt in tempus præteritum, vel præsens, ea pariter vitiat collationem si ad eam sit impertinens v.g. si dicam *Confero tibi Beneficium si Cæsar Turcas vicit, vel si nobilis es*. Ratio est quià collatio libera requirit absolutum, & determinatum consensum conferentis, qui per has conditiones, licèt non suspendatur, tamèn redditur incertus *d. cap. 2. de elect. in 6. ibique Jo. Monach. num. 5. & 6.*

17 Adverte tamèn, quod valeat collatio si fiat sub conditione expressa, quæ suapte natura, seu de Jure tacitè insit, puta si dixerim *Confero tibi Beneficium si vacat, vel es idoneus*, quià talis conditio nihil addit, vel demit actui, sed merè explicat quòd tacitè subintelligebatur *Glos. in d. cap. 2. in v. incerta, ibique Jo: Monach. num. 8. Azor. loc. cit. quæst. 26. num. 3. Garz. part. 8. de Benefic. cap. 2. num. 4.*

18 Rogabis quartò quinàm possint Beneficia conferre.

19 Dico primò. Principalitèr, & primariò omnia Orbis Beneficia potest conferre Summus Pontifex, qui quoad illa, utpotè à Jure positivo inducta, plenariam habet, & omnimodam potestatem, & vocatur Ordinarius Ordinariorum habens pro sua Diœcesi totum Orbem *cap. licet in princ. de præbend. in 6. & Paris. lib. 1. de resignat. benef. quæst. 10. num. 47. & 49.*

20 Tribus autèm modis solet Papa Beneficia conferre. Primò per viam devolutionis, quando scilicet Beneficium ab Ordinario conferendum devolvitur ob aliquam legitimam causam ad collationem Papæ, puta, eo quià fuerit electus indignus, Beneficium sit affectum &c. juxtà *Capitulum quamquam*, & ferè *tot. tit. de elect. in sexto*, & in aliis titulis sparsim quoque dicam.

21 Secundò per viam præventionis, quando scilicet man-

mandat Episcopo, vel alteri Ordinario Collatori, ut Beneficium in sua Ecclesia vacans, vel proximè vacaturum conferat v. g. Titio, tunc enìm Collatorem Ordinarium prævenit mandando tacitè ne possit conferre alteri, quàm proviso à Papa *Text. est expressus in cap. dudùm de præbendis in 6.* Ratio est, tum quià provisio Papæ in hoc casu, utpotè præveniens collationem Ordinarii, ipsam præcedit tempore, adeòque utpotè prior tempore est illi præferenda; tum etiam quià Papa concessit Episcopo, vel alteri Collatori Ordinario facultatem generalem conferendi omnia Beneficia vacantia in sua Diœcesi; collatio autem, quam ipse facit per præventionem, est collatio specialis, generi verò per speciem derogatur *Oldrad. consf.* 198. *Cassad. dec.* 8. *addit. ad Sanfelic. dec.* 403. *observ.* 17. quià in iis quæ pendent à voluntate Principis, non censetur ipse per generalem concessionem voluisse sibi auferre facultatem id idem concedendi per gratiam specialem: consule *Text. in d. cap. dudùm, & cap.* 1. *& cap. pastoralis de rescript.*

22 Tertiò Papa confert Beneficium per viam concursus, concurrens scilicet cum Episcopo, vel alio Collatore in collatione Beneficiorum, & tunc collatio prior est præferenda *d. cap. dudùm* §. *Nos igitur*.

23 Adverte tamèn, quod si Papa concurrens cum Episcopo, Beneficium uni conferat, & alteri Episcopus, nec constet cui prius sit facta collatio utendum sit hac regula: Ille qui prius adeptus fuit pacificam Beneficii possessionem præferendus est alteri non possidenti, etiamsì hic fuerit provisus à Papa, quia in tali casu melior est conditio possidentis; juxtà *cap. in pari de reg. Jur. in 6. Rot. decis.* 480. *num.* 2. *& seqq. part.* 13. *& decis.* 304. *num.* 2. *part.* 14. *rec.* si

verò

24 verò neuter possideat, tunc provisus à Papa præferendus est proviso ab Episcopo ratione majoris prærogativę, & Dignitatis, quę in Papa residet *cap. si à Sede de præb. in 6. & d. decis.* 480. *nu.* 1. *part.* 13. *rec.*

25 Adverte ulteriùs, quod si in collatione Papæ sit apposita dies, & in collatione Ordinarii sit apposita non solùm dies, sed etiam hora, collatio Episcopi sit præferenda collationi Papæ; pręsumitur enim priùs facta, cum certior sit ejus probatio, quàm alterius expressione horę carentis; per expressionem enim horę magis tempus determinatur *Glos. in dicto cap. si à Sede verb. nec appareat, Petrus Barbos. in l.* 1. *ff. solut. matrim. part.* 2. *num.* 10. *Rebuff. tract. de pacific. possess. num.* 299. *Tiraquell. de Jur. primogen. quæst.* 17. *opin.* 11. *num.* 3. *& de retract. lignag.* §. 11. *glos.* 1. *num.* 10. *Rot. cor. Buratt. decis.* 32. *num.* 1. *quæ est eadem cum decis.* 514. *num.* 1. *part.* 2. *rec.*

26 Dico secundò. Legati à latere Summi Pontificis possunt conferre Beneficia in Provincia, in qua Legationis munere funguntur *cap. dilectus de offic. Legati, & cap. penult. de præbendis, & Dignitatibus*; adeòque possunt concurrere cum Ordinariis, & aliis inferioribus Collatoribus, itaut in dubio collatio Legati, ut potè dignioris, pręferenda sit collationi Ordinarii; *cap. si à Sede de præbend. in 6. ibique Glos. in verb. Legato.*

27 Excipe Cathedrales, Collegiatas, vel Regulares Ecclesias, aut Dignitates majores in Cathedralibus post Episcopalem, puta Prepposituras; has enim, utpotè Sedi Apostolicę reservatas in *cap.* 2. *de translat. Episc.* Legatus à Latere conferre nequit *cap. deliberatione de offic. Legat.* Idemque dic de aliis Beneficiis Papę reservatis, in quibus sine speciali mandato illius sę

immi-

immiscere non potest *cap. quod translationem de offic. Legat. & Garz. de Benefic. part. 5. cap. 3. num. 53. & seqq.*

28 Videtur tamèn huic Legatorum potestati obstare *Text. in cap. 1. de offic. Legat. in 6. ubi Innoc. IV.* loquitur per hæc verba = *Præsenti decreto statuimus ut Ecclesiæ Romanæ Legati, quantumcumque plenam Legationem obtineant &c. conferendi Beneficia nullam habeant potestatem.*

29 Ad hanc igitur fugandam nubeculam sciendum est; quod Legatorum alii dicuntur *Legati à latere*, hique sunt solùm Cardinales illi, qui à Pontifice ad aliquam Provinciam gerendam mittuntur, ità dicti, quià veluti de Latere Pontificis prodire censentur; cum quo unum corpus constituunt Cardinales *Glos. in objecto cap. 1. in verb. Legati*. Alii dicuntur *Legati missi*, seu *Nuncii Apostolici*, qui nec à latere Pontificis sunt, nec Cardinales, quamvis soleant ut plurimùm esse Præsules, & merè ad aliquam Provinciam à Pontifice destinantur cum munere Legationis, ad quod obeundum sufficit, quod sint Subdiaconi *Can. 1. distinct. 94.* Alii demùm dicuntur *Legati nati*, qui Prælaturæ, seu Dignitatis Ecclesiasticæ, quàm obtinent habent annexum munus Legationis, prout sunt Archiepiscopus Salisburgensis in Germania, Cantuariensis in Anglia, in Gallia Rhemensis, in Hispania Toletanus, in Polonia Guesnensis, in Italia Pisanus &c.

30 His positis textus objectus in fine sui, se ipsum solvit; Ait enim Legatos missos, vel natos nullam habere facultatem conferendi Beneficia in Provinciis, ad quas sunt Legati, nisi ex speciali delegatione Sedis Apostolicæ, & hanc potestatem habere tantùm ex

vi

vi suæ Legationis Cardinales Legatos à latere. Accipe verba postrema textus objecti = *Quod in fratribus nostris Legatione fungentibus nolumus observari, quià sicut honoris prærogativa lætantur, sic eos authoritate fungi volumus ampliori*.

31 Dico tertiò. Episcopi habent Jus conferendi Beneficia in Diœcesi vacantia, exceptis aliquibus Sedi Apostolicæ reservatis, de quibus inferiùs *cap.* 3. *de institut. cap. conquerente de Offic. Ord. Lotter. de re Benefic. lib.*2. *quæst.*2. *per tot. Rot. coram. Ludovis. ibique Beltramin. decis.* 291. *per tot. coram Seraphin. decis.* 799. *num.* 1. *&* *coram Bich. decis.* 168. *num.* 4.

32 Beneficia autèm ad Mensam Capitularem pertinentia de Jure conferre nequit Episcopus sine consensu Capituli *cap. novit de his, quæ fiunt à Prælat. &c. cap. unico §. Cum verò ne Sede vacante, & Rot. decis.* 144. *num.* 19. *part.* 19. *recent.* quià Episcopus, & Capitulum Cathedralis Ecclesiæ unum corpus constituunt *d. cap. novit in princ.*

33 Hæc tamèn assertio intelligenda venit nisi specialis locorum consuetudo, vel Diœcesis alicujus privilegium, contrarium disponat *Garz. de Benefic. part.* 5. *cap.* 4. *num.* 12.

34 Adverte ulteriùs Episcopum etiàm consecratum, vel alium quemvis quasi Episcopali jurisdictione fruentem, non habere jus conferendi Beneficia, nisi post expeditas literas Apostolicas suæ promotionis, easque Capitulo ostensas, juxtà *Extrav.* 1. *de elect. &c. & Garz. loc. cit. num.* 251. *& seqq.*

35 Adverte ulteriùs Episcopum in Romana Curia manentem non posse conferre Beneficia tunc temporis in sua Diœcesi vacantia, nisi exeat à Curia *Covar. lib.* 3. *resol. cap.*20. *nu.* 9. & hoc consonat Juris Cæsareo,

quo

quo Proconsul imperium, & jurisdictionem quamvis statim deponebat cum Romam ingressus fuerat ad *Text. in leg. fin. ff. de offic. Proconsul.*

36 Dico ultimò. Quilibet Prælatus etiàm Episcopo inferior, qui cùm bona fide sit in quasi possessione Juris conferendi Beneficia, ea validè, & licitè conferre potest. Ità *Garz. dicta part. 5. cap. 5. nu. 10. & tribus seqq.* Ratio est quià collatio est fructus Juris conferendi; fructus autèm spectant ad possessorem bonæ fidei, non ad Dominum proprietatis *l. bonæ fidei ff. de acqui. rer. Dom. & §. Si quis à non Domino Instit. de rer. divis.*

An autèm Cardinales possint conferre Beneficia vacantia in Ecclesiis suorum Titulorum, dixi supra cum de Cardinalibus disservi.

37 Rogabis quintò. Quibus nequeant conferri Beneficia.

38 Dicò primò. Illegitimis, etiàm ex simplici fornicatione natis, Beneficia conferri nequeunt, nisi cum eis super defectu natalium fuerit dispensatum *Text. est in cap. fin. de fil. presbyt.* Idque tùm quià tales natalium defectu laborantes sunt irregulares, tùm in odium paternæ incontinentiæ, cujus imitatores filii præsumuntur *cap. literas 13. tit. d. & Glos. in cap. in verb. defectu eodem tit. in 6.*

39 Adverte tamèn primò quoad obtinenda Beneficia illa, quæ ordinem sacrum requirunt, sicuti etiàm Dignitates, Personatus, & Beneficia curata non posse cum illegitimis dispensare, nisi Summum Pontificem; quoad obtinenda autèm alia minora Beneficia posse dispensare etiàm Episcopum *cap. fin. tit. dicto Garz. part. 7. de Benefic. cap. 2. num. 53. & seqq. Barbos. de potest. Episcopi part. 2. alleg. 45. num. 29. & seqq. Bel-*

 let.

let. disquisit. Cleric. part. 1. *tit. de discipl. Clerical.* §. 3. *num* 34. *& seqq.*

40 Adverte secundò. Dispensationem cum illis factam strictè esse accipiendam, itaùt dispensatus v. g. ad Beneficia simplicia nequeat promoveri ad Beneficium curatum, ad quod major scientia, & idoneitas requiritur *Rebuff. in prax. benefic. tit. de dispensat. super defect. natal. num.* 51. *& seqq.* Ratio est, quià dispensatio cum sit exorbitans à Jure communi, & quædam illius relaxatio, velùt odiosa restringi debet, & strictè interpretari *cap.* 1. *§. ille de fil. presbyt. in 6.*

41 Ità paritèr, si fuerit dispensatum cum illegitimo ad certum Beneficium obtinendum, si illegitimus eo obtento, ac posteà dimisso aliud obtinere velit, indiget nova dispensatione, quià prima dispensatio cum jàm fuerit effectum suum sortita, nil ultrà operatur *Jo: Monach. in cap.* 1. *num.* 10. *tit. dicto in 6.*

42 Adverte tertiò filios illegitimos non posse succedere in Beneficiis Parentum, idque ad tollendam quamlibet memoriam paternæ incontinentiæ.

43 Notanda tamèn est differentia quoad hanc prohibitionem intercedens inter Jus Canonicum vetus, & novum. De jure enim veteri prohibetur solùm filiis illegitimis successio immediata in Beneficiis Parentum, vel acquisitio cujuscumque alterius Beneficii in eadem Ecclesia vivente Patre, ut videre libet *in cap. ex transmissa de fil. Presbyt.* de Jure autèm novissimo Clemens VIII. in Constitutione edita Anno 1530. incipien. *Ad Canonicam Conditorem*, quàm referunt *Navar. in cap. si quando de rescript. except.* 21. *Quaranta in Summ. Bullar. verb. illegitimi*, *Gigas de pens. quæst.* 86. abrogatur *d. cap. ex transmissa*, & prohibetur filiis illegitimis Clericorum successio etiàm mediata in Be-

in Beneficiis Paternis, & *Conc. Tridentinum sess. 25. cap. 15. de reformat.* hujusmodi filios declarat inhabiles tàm vivo, quàm defuncto Patre, non solùm ad obtinenda Beneficia paterna, sed quævis alia etiàm dissimilia Beneficia sita in Ecclesia illa, in qua habuit Beneficium Pater, vel quascumque pensiones Ecclesiasticas, quibus Pater fruebatur. Consule *Gratian. tom. 2. discept. 397. per tot. & Duaten. lib. 4. de sacris Ecclesiæ cap. 5*

44 Videtur tamèn obstare huic assertioni *Text. in cap. veniens de fil. Presbyt.* ubi habetur filium Sacerdotis illegitimum institutum in Ecclesia, in qua Pater ministraverat, non posse ab ea per Episcopum amoveri.

45 Respondeo in themate dicti Textus Episcopum scientèr contulisse Beneficium curatum filio illegitimo in Ecclesia paterna, & postea authoritate propria illum dicto Beneficio spoliasse absquè ulla præcedente causæ cognitione: Quarè hòc relato Pontifici, ille tàm in favorem filii illius, qui non debebat spoliari dicto Beneficio pro libito Episcopi, antequam discuterentur merita causæ, & cognosceretur an esset illegitimus nec nè, quàm in odium Episcopi, qui auserat illum amovere à Beneficio, quod facere non poterat, cum potestatem dispensandi quoad illum non haberet, utpotè Beneficium curatum possidentem, ut habetur in *cap. diversis in fin. de Cleric. conjug.* ille inquàm Pontifex, tàm in favorem Clerici Beneficio injustè spoliati, quàm in odium Episcopi nimis audactèr spoliantis, cum eo censuit dispensandum, in cujus dispensationis sequelam, vetuit Episcopo, ne talem Clericum à Beneficio amoveret.

46 Notandum ulteriùs hanc prohibitionem factam quoad filios non extendi ad nepotes, vel legitimè,

vel illegitimè natos, ex filio illegitimo Clerici. Ità *Navar. lib.1. consil. 9. de fil. Presbyt. Garz. part. 7. de benefic. cap. 3. num. 21. & seqq. Barbos. de potest. Episcopi allegat. 65. num.18.* Et ratio est, quià in odiosis, & in constitutione pœnali nepotes non veniunt sub nomine filiorum, juxtà *Bartol. in l. liberorum num.6. ff. de verb. & rerum signific.*

47 Notandum tertiò, prohibitionem Tridentini non extendi ad Patrem volentem obtinere Beneficium in Ecclesia, in qua filius illegitimus sit Beneficiatus, ùt articulo maturè discusso firmavit magistralitèr objectionibus occurrens *Rot. decis. 1442. per tot. cor. Seraphin.* quàm sententiam amplexandam omninò fore jubet *Card. de Luc. de Benefic. disc.66. num. 8.* quibus addi potest *Barbos. in sess. 25. cap. 15. Tridentini n.7.*

48 Notandum quartò, nonnisi Summum Pontificem posse dispensare cum filio illegitimo, ad hoc ùt ille possit obtinere Beneficium paternum; tum quià dispositio id prohibens est Conciliaris, cui Episcopus derogare non potest, tùm etiàm quià, in hoc casu duplex concurrit impedimentum, & defectus natalium legitimorum, & successionis in Beneficio paterno. Ità *Jo: Monach. in cap. 1. de fil. Presbyt. in 6. in verb. natalium, & Fagnan. in cap. ad extirpandas num. 24. & 25. eodem tit. Gratian. discept. 397. num. 33. & 34.*

49 Jàm verò ad quæsitum quinto loco factum dico secundò non posse Beneficia conferri non habentibus ætatem requisitam ad illa obtinenda; Ætas autem statuta est novissimè à Tridentino, quod *sess. 23. cap. 6. de reformat.* disponit, ad quodlibet Beneficium simplex obtinendum requiri decimum quartum annum, quià antè illam ætatem non potest quis se ipsum maturè, & prudentèr regere, quem annum sufficit esse inchoa-

inchoatum ex declaratione *Sac. Congregationis Cardinalium Concilii Interpretum* relata à *Barbos. de potestate Episcopi alleg.* 60. *num.* 76.

50 Hoc tamen intelligas procedere nisi obstet voluntas Fundatoris Beneficii disponens, quod antè dictam ætatem obtineri possit Beneficium ab ipso fundatum; huic enìm voluntati non fuit à Tridentino derogatum, juxtà *Barbos. de potest. Episcop. dicta alleg.* 60. *num.* 77. *part.* 3.

51 Ad Dignitates autèm, vel Personatus curam Animarum per se non habentes requiruntur 22. anni *Tridentinum sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* quos paritèr sufficere si sint inchoati dixit *Rot. decis.* 290. *num.* 16. *& decis.* 399. *num.* 7. *part.* 13. *recent.*

52 Ad Canonicatus autèm, & Præbendas in Ecclesiis Cathedralibus ea ætas requiritur, in quà constitutus possit intrà annum computandum à die adeptæ pacificæ possessionis Beneficii, ascenderè ad ordinem sacrum dicto Canonicatui, vel Præbendæ annexum, juxtà idem *Tridentinum loco mox citato*. Cùmque
53 Concilium non faciat mentionem de Canonicatibus Ecclesiarum Collegiatarum, dicendum est ad eos obtinendos sufficere decimum quartum annum inchoatum, & ità declaravit *Sac. Congregatio Concilii apud*
54 *Barbos. dicta alleg.* 60. *num.* 71. Ad obtinendum autèm Canonicatum Pœnitentiarium requiruntur 40. anni *Trid. sess.* 24. *cap.* 8. *de reform.* quos juxtà mitiorem DD. sententiam paritèr sufficit fuisse incœptos.
55 Ad habenda autèm Beneficia curata 25. anni inchoati requiruntur. Idem *Tridentinum sess.* 24. *cap.* 12. *de*
56 *reform.* & ad habendum Episcopatum exiguntur 30. anni completi *cap. cum in cunctis in princ. de elect.*

57 Dico tertiò. Ad obtinendum Beneficium requiritur

Cleri-

Clericatus præexistens,& saltèm prima Tonsura, quià Beneficia laicis conferri non possunt, cum dentur propter officium spirituale exequendum *cap. cum contingat de ætate, & qualit. &c.*

58 Dico quartò. Beneficia iis conferri nequeunt, qui ob amentiam, morbum gravem, similemque alicujus sensus defectum,munus spirituale Beneficio annexum obire nequeunt.

59 Adverte tamèn, quod si hoc impedimentum superveniat Beneficiato post adeptum Beneficium,non impediat quin illud retinere possit,ut enim ait Innoc.IV. in *cap. ex parte de Clerico ægrotan.* = *Non est addenda afflictio afflicto, imò potiùs ipsius miseriæ miserendum*.

60 In hoc casu igitur dandus est Beneficiato Coadiutor, qui ejus vice spirituale munus expleat,eique conveniens portio ex fructibus Beneficii est assignanda *Text. est in cap. de Rectoribus tit. dicto*: Quod si redditus Ecclesiæ utrique non sufficiant, Coadiutori omnes destinandi sunt,& Beneficiato alio modo providebit Episcopus *Glos. in dicto cap. in verbo portionem*.

61 Et quoniàm in Coadiutores sermo incidit, scito alios esse Coadiutores temporales, alios perpetuos. Temporales sunt, quos suprà diximus, ii scilicèt,qui dantur Beneficiato propter aliquod impedimentum temporale. Perpetui verò sunt illi, quibus congrua portio assignatur ex Ecclesiæ redditibus,& Beneficiato defuncto in Beneficio succedunt.

62 Hæcque Coadiutoria perpetua inter Beneficia recensetur, cum sit jus perpetuum colligendi fructus ex bonis Ecclesiæ *Garz. de benefic. part. 4. cap. 5.*

63 Dico quintò. Irregularibus, excommunicatis, vel alia censura Ecclesiastica irretitis,conferri nequeunt

Bene-

Beneficia Ecclesiastica, cum prohibeantur officia Ecclesiastica exercere *cap. fraternitati de Clerico excommunicato &c.*

64 Quod si Clericus post adeptum Beneficium, censura aliqua afficiatur, Coadiutore est ei succurrendum, sique à vinculo anathematis, quo erat innodatus, solvatur, & obtenta retinere, & nova obtinere potest Beneficia *cap. proposuit tit. cit.*

65 Rogabis sextò. An Beneficia sæcularia possint conferri Regularibus, vel è contrà.

66 Respondeo negativè, quià rationi non congruit, ùt homines disparis professionis, & habitus simul in eisdem Ecclesiis socientur *cap. cum de benefic. de præben. in 6. & Can. in nova 16. quæst. 7.* & ne Religiosi ad Sæculares Ecclesias assumpti sæculi studio ducti ab incæpto proposito desistant, vel divagentur *cap. super eo de Regular. &c.*

67 Limitatur tamèn primò, assertio in Papa qui plenitudine potestatis, qua fruitur, potest conferre Beneficium regulare Clerico sæculari, & viceversa, dicto *cap. cum de benefic. in fine, ibique Anchar. notab. 3.*

68 Limitatur secundò, in casu quo non inveniantur idonei Clerici sæculares, qui in sæculari Beneficio instituantur, tunc enìm illi præficiendus est Clericus regularis, & è contrà. Ratio est, quià magis expedit, quod Beneficium regatur ab homine diversæ professionis, quàm quod malè regatur, vel quolibet careat Rectore *Rebuff. in prax. benef. tit. de dispensat. ad regular. num. 40. & Garz. part. 7. de benef. cap. 10. num. 16.*

69 Limitatur tertiò, in Episcopatibus, ad quos promoveri possunt tàm Regulares, quàm Sæculares *cap. nullus de elect. in 6. Garz. loc. cit. num. 30.* Et ratio est, quià cura Animarum, quæ Episcopo incumbit

est

eſt adeò privilegiata,ùt ob eam Monachos à contemplationis, & ſolitudinis ſtudio liceat revocare. Quæ
70 ratio quamvis militet etiàm in Eccleſiis merè Parochialibus,adeòque ad illas Jus commune vetus etiàm Regulares aſſumi permittat in *Can. in parochia*, *Can. cum pro utilitate*, *& Can. ne per cujuslibet* 16. *quæſt*. 1. tamèn jure novo, & juxtà recentes Congregationis Concilii declarationes,quas refert *Garz. loc. cit. n.*31. *& duobus ſeqq.* ſtatutum eſt, ut nullus Regularis,cujuſcumque interìm ſit Religionis, ad Parochias promoveri poſſit abſquè Papæ diſpenſatione, niſi talis Parochia Monaſterio ſit unita.

71 Limitatur quartò, in caſu quo Beneficium,v. g. ex ſui fundatione regulare poſteà collatum ſit Clericis ſæcularibus, qui in eo tanquàm Rectores fuerint inſtituti, illudque per 40. annos pacificè, & cum bona fide poſſederint, tunc enìm cenſetur mutata natura Beneficii, inducta præſcriptio contra illius ſæcularitatem *cap. cum de benefic. de præbend. in 6. ibique Gloſ. in v. legitima, & v. poſt, Maſcard. de probat. concluſ.* 172. *n.*2. 10. *& ſeqq. Antonin. var. reſol. lib.* 1. *reſol.* 20. *n.*5. *Rot. cor. Achill. de Graſs. deciſ.* 8. *n.*3. *de reſtit. ſpoliat.* Nam contra Eccleſiam militat, & ſufficit præſcriptio quadragenaria *cap. de quarta &c. ad aures de pręſcript.*
72 quod dixi de Beneficio regulari mutato in ſæculare, repetas, nam verum proportionalitèr aſſeres,de Beneficio ſęculari mutato in regulare.

73 Reſtat hic una adhùc quæſtio diſcutienda: an ſcilicet Novitiis Religionum conferri poſſint Beneficia.

74 Dico primò. Beneficia regularia illius Religionis Novitis conferri poſſunt, dummodò ſe obligent ad emittendam profeſſionem in illa Religione, alioquìn Beneficium reſignare, vel eo privari debeant.

Ità

Ità corrigendo Jus vetus contrarium disponens *in Clement.* 1. §. *Sanè. de Stat. Monachor. & in Clement. unic de suppl.neglig.Prælat.* sancivit *Trid. sess.* 14. *cap.* 10. *de reform.*

75 Dico secundò. Beneficia sæcularia Novitiis conferri possunt, sed non decet. Conferri possunt, quià Novitii adhuc sunt sui Juris, & capaces proprium retinendi. Non decet autèm, ne detur illis ansa ad sæculum redeundi *Garz. d. cap.* 10. *num.* 5. & 6. contrà *Glos. in cap.* 4. *de regularibus in v. conferendum*.

TITULUS X.

De electione, & Electi potestate.

1 VARIUS pro varietate temporum in Ecclesia mos viguit eligendi Episcopos, & Prælatos ad Ecclesiam vacantem. Primò enim Apostoli, accepta à Christo authoritate, primos Ecclesiis designavere Pastores.

2 Secundò. Illis in Cœlum elatis, Episcopi Comprovinciales, Metropolitanos, & Episcopos eligebant ad consensum Cleri, & Populi, ùt videre liquet ex *Can.*
3 *fin. distinct.* 79. Hicque consensus requirebatur ex permissione Ecclesiæ, ùt haberetnr testimonium de vitiis, vel probitate electi, juxtà illud D. Pauli *prima ad Timoth. cap.* 3. = *Oportet autem illud* (id est Episcopum) *& testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt.* Si enim Populus aliquem in Episcopum petiisset, cujus electioni obstarent Statuta Sacrorum Canonum,

 ejus

ejus petitio reiiciebatur, ac denuò convocabantur Clerus, & Populus *Can. plebe dist.* 63. Sique nec tùnc in unum convenissent, quem eligebat Archiepiscopus pro Episcopo habebatur *Bellarm. in suis controv. lib.* 1. *de Cleric. cap.* 7.

4 Tertiò tempore succedente, Jus electionis devolutum fuit integrè ad Clerum cum consensu Populi merè annuentis, non autèm suffragantis.

5 Quartò tempore avenientе, ex speciali Sedis Apostolicæ indulto facultas eligendi Episcopos, in Reges translata fuit, ùt de Rege Galliæ constat ex *Can. Hadrianus cum seqq. distinct.* 63. & de Rege Hispaniæ ex *Can. cum longè distinct. eadem*.

6 Supervenit denique postremum tempus, quò primùm Canonici Ecclesiæ Cathedralis, & Religiosi Civitatis Episcopum eligebant *Can. pro obeuntibus distinct.* 63. donec potestate facta Regularibus Prælatos suos tantùm eligendi, Capitulum Cathedralis Ecclesiæ reservavit sibi soli facultatem eligendi Episcopum, ut videre est ex *cap. cum terra, cap. quia propter, cap. in Genesi, & aliis pluribus hoc titulo*.

7 Et quamvis Pontifices in *Extrav. ad regimen de præbend. & in reg. secunda Cancellariæ*, reservaverint sibi provisionem Sedium Episcopalium Metropolitanarum, & Patriarchalium vacantium, tamèn etiam nunc temporis, ob concordata inita cum Sede Apostolica, in plerisque Germaniæ locis Episcopi, vel Archiepiscopi eliguntur à Canonicis Ecclesiarum Cathedralium, & ità electi confirmantur à Romano Pon-
8 tifice. Et in Regnis Galliæ, Hispaniæ, Poloniæ, ac Lusitaniæ ex speciali Sedis Apostolicæ indulto ipsi Reges, Episcopos, vel Archiepiscopos designatos, Papæ præsentant, à quo posteà in Sedibus instituuntur. *Barbos.*

*bos. de offic. & poteft. Episcopi part.*1. *tit.*1. *cap.*3. *n.*27.

9 Definitur itaque hæc electio à *Lancellot. in Institut. Canon. tit. de elect.* §. *Cæterum = Alicujus hominis ad Dignitatem, vel fraternam Societatem Canonicè facta vocatio*. *Canonice* quidem, hoc eft fervata forma pro facienda electione à Sacris Canonibus præfinita.

10 Triplici autèm modo fieri poteft electio, ad mentem *Text. in cap.quià proptèr hoc tit.* Primò per infpirationem, fecundò per compromiffum, tertiò per fcrutinium, qui ultimus modus in frequentiori ufu nunc eft.

11 Per infpirationem fit, cùm eligentes Divini Numinis afflatu impulfi, & nullo præcedente tractatu uni fuffragia impedunt, prout contingiffe Fabiano Pontifici narratur à *Platina in ejus Vita*, & *Baronio ad annum Christi* 236. Cum enim Clerus, Populufque Romanus conveniffent pro defignando Pontifice, Columba de fublimi avolans Fabiani capiti infedit, & audita fuit vox. *Tu Romæ Epifcopus defignaberis*.

12 Per compromiffum fieri dicitur electio, cum omnium, & fingulorum electorum confenfu aliqui ex iis fecernuntur, in quos omnium vice transfunditur poteftas eligendi, cum certis tamèn claufulis, & conditionibus compromiffo adjectis.

13 Denique per fcrutinium celebratur electio tunc, cum tres, vel plures de Capitulo eliguntur, qui omnium electorum vota fecretò exquirant, & in fcriptis redacta mox publicent, & habita collatione numeri ad numerum, juxtà *Trid. feff.* 25. *de regular. cap.* 6. is eligendus venit, cui omnes, vel major electorum pars fuffragiis acceflerit.

14 Quoad electionem, quæ fit per compromiffum adverte, quod ùt deftinatio Compromiffariorum fit vali-

da, unanimis singulorum electorum consensus requiratur, nec major eorum pars sufficiat; tùm quià pars minor non debet privari jure suo; tum quià in re communi potior est causa prohibentis *Reg. in re communi de reg. Jur. in 6.* Ità *Panormit. in cap. scriptum n. 3. & cap. quià proptèr §. Vel saltèm num. 6. hoc tit. Felin. in cap. cum omnes num. 18. de constit. Lambert. de Jur. patron. lib. 2. part. 2. quaest. 2. art. 17.*

15 Advertè ulteriùs hoc compromissum fieri posse in aliquem, qui sit etiàm extra gremium Capituli juxtà *Abb. in cap. Causam hoc tit. num. 2.* Sed semper Compromissarium debere Clericum esse, Laicus enìm nequit esse arbiter in causis spiritualibus *cap. contingit de arbitris*.

16 Advertè tertiò pulcherrimam, licet, si cutaneè tantùm inspiciatur, minùs veram decisionem casus relati à *Text. in c. cum in Jure hoc tit.* In septem Compromissarios consensit Capitulum quoddam, ut electus censeretur in Decanum ille, in quem ipsi, vel major eorum pars convenisset. Tres ex illis elegerunt in Decanum quartum paritèr Compromissarium, hicque suæ electioni consensit; Quare de facti specie consultus Pontifex dictam electionem confirmat, & indubitantèr substineri jubet. Ratio est, quià ad validitatem electionis sufficit, ùt major eligentium pars concurrat *cap. coram hoc tit.* Undè cum eligentes omnes in voluntatem Compromissariorum suam facultatem electivam transtulissent, & in talem electum major Compromissariorum pars consensisset, electio ab eis facta dicenda erat validè, & ritè celebrata.

17 Confirmatur ex dispositione Juris Civilis *in l. 3. & 4 ff. quod cujusque Universitatis &c.* ubi cum supponatur Actorem Civitatis à majore parte Decurionum

num fore eligendum, sic ait Paulus J. C. *Planè ubi duæ partes Decurionum adfuerunt, is quoque, quem decernunt numerari potest*, ibique notat eruditissimus *Cujacius*.

18 Obiicies tamèn primò *Text. in cap. fin. de institut. &* *in cap. per vestras de jurepatr.* ubi prohibetur quilibet se ipsum eligere.

19 Respondeo. Aliud est eligere se ipsum directè, ac principalitèr, quod à Jure prohibetur; aliud est eligere se accessoriè, & completivè tantùm, seù veriùs: electioni de se factæ consentire, quod lex non vetat, in themate nostri Textus quartus Compromissarius non se ipsum eligit, sed merè approbavit judicio suo judicium à tribus Collegis latum erga se ipsum.

20 Obiicies secundò *Text. in cap. Cumana hoc tit.* ubi decernitur electum à media parte Capituli electioni de se factæ consentire non posse, nec assentiendo augere numerum eligentium.

21 Respondeo in allato Textu non haberi sermonem de electione facta per compromissum, sed per scrutinium occultum, intèr quas electiones hoc intermediat discrimen, quod nemo possit consentire electioni de se factæ per scrutinium occultum, quià cum suffragia secreta sint, & consequentèr ille electum se nesciat, assentiendo suæ electioni ante publicationem suffragiorum videretur directè, & principalitèr intendere electionem sui, quod redolet notam detestandæ ambitionis. E contrà verò assentiens electioni de se factæ à Compromissariis, in priori ad assensum scit electionem de se factam fuisse, hinc ei assentiendo non eligit directè se ipsum, sed præcisè vocationem de se ab illis factam approbat, eique consensum præstat. Ità *Panorm. in cap. cùm in Jure hoc tit.*

Roga-

22 Rogabis autèm primò, quinam vocandi sint ad electionem celebrandam.

23 Respondeo. Omnes illi, qui velint, debeant, & possint, illi commodè interesse juxtà *Text. in cap. quià proptèr in princ. hoc tit. ibique Glos. Abb. & Repetentes communitèr, Sylv. verb. elect. 1. num. 6. Rot. cor. Mant. decis.* 288.

24 Dixi primò, vocandos esse illos, qui debent interesse, illos nempè, qui habent jus eligendi, vel à Jure communi, vel à privilegio, vel à consuetudine, aùt alio titulo legitimo: Illi igitur, qui ob defectum ætatis, vel ordinis eligere nequeunt, vocandi non sunt *cap.* 22. *hoc tit. in 6.* Ità sunt irregulares, vel qui censura Ecclesiastica notoriè sunt irretiti, vel pro ea vice privati sunt jure eligendi. Juxtà *Abb. in d. cap. quià proptèr num.* 3.

25 Dixi secundò, eos vocandos, qui venire velint, nisi enìm Ecclesiæ intersit, omnes interesse volentes cogi nequeunt ad interessendum, juxtà *Abb. loc. cit. nu.* 4. quisque enìm potest suo Juri renunciare, nisi renunciatio vergat in damnum tertii. Ideòque elapso termi-

26 no electioni præfixo, etiàmsi major pars electorum non advenerit, vel adventa, absque legitima causa è Conventu reliquorum exiverit, illi qui remanent, quamvis numero pauciores validè eligere possunt, quià per aliorum absentiam in ipsos integra eligendi potestas videtur recidisse, per *Text. in cap. cùm nobis hoc tit.* imò etiàm si unicus remanserit, ille eligere poterit, juxtà *Innoc. in d. cap. num.* 6.

27 Dixi tertiò, illos vocandos esse, qui commodè interesse possunt; nam si Provincia esset nimis longa, & lata, & esset periculum in mora, ne fortè expectatis omnibus Electoribus pullularent factiones, vel schismata,

mata, omnes vocandi non essent *cap. quià proptèr, ibique Gloss. in verb. commodè hoc tit.* Ratio est, quià bonum publicum Ecclesiæ est præferendum bono privato eligentium, diutina autèm vocatio, ùt plurimùm est Ecclesiæ damnosa.

28 Sed quoad eos, qui sunt vocandi tutiùs est respicere ad statuta, & consuetudines particularium Ecclesiarum, illisque morem gerere, ùt notat *Laym. in cap. quià proptèr §. Illud autèm hoc tit. in fin. Panorm. in cap. coram, & in cap. Cumana tit. eodem, Sylv. loc. cit. nu. 6. & Passerin. de elect. cap. 11. num. 13.*

29 Rogabis secundo. Si aliqui ex Electoribus fuerint contempti, idest non vocati ad electionem, quando vocari poterant, & debebant, vel non ità tempestivè vocati, ùt commodè accedere possent, & poterunt ne contemptum suum prosequentes invalidare electionem?

30 Respondeo affirmativè, per *Text. in cap. quod sicut hoc tit.* sed debebunt contemptum prosequi intrà idem tempus, quod ipsis dandum erat ad eligendum, juxtà *Abb. in dicto cap. num. 3.*

31 Rogabis tertiò. Successor electoris contempti poterit, eo mortuo, dictum contemptum prosequi, si ejus antecessor eum prosequutus non fuerit?

32 Respondeo cum distinctione. Vel est successor in Prælatura, puta Episcopatu; vel in Præbenda, puta Canonicatu. In primò casu poterit contemptum prosequi, in secundò non. Ratio discriminis est. Quià ad successorem in Prælatura, vel Dignitate devolvuntur omnia Jura annexa tali Dignitati; illa autem non devolvuntur ad Successorem in præbenda, sed mortuo Antecessore ea transeunt in Capitulum; Capitulum autèm non potest impugnare electionem priùs à se factam,

ctam, quià nemini contrà factum suum ire permittitur. Vide *Glos. in dicto cap. quod sicut in verbo consentire*.

33 Rogabis quartò. An ille, qui aliundè sciebat diem & terminum electioni præfixum, esto ad electionem faciendam vocatus non fuerit, dicatur contemptus.

34 Respondeo negativè, cum *Panorm. in cap. Ecclesia il secondo hoc tit. num. 9. quem sequitur Passerin. loc. cit. num. 66. & seqq.* Ratio est, quià juxtà *theoricam Bartol. in l. Emptor. C. de evict ion.* quando denunciatio alicui est præcisè facienda, ùt ei notificetur res aliqua, non est necesse, quod fiat jam scienti, quod erat notificandum, tùnc enìm habet locum *reg. 32. Juris in sexto; eum qui certus est certiorari ampliùs non oportet*.

35 Nec obstat, si inquias, de Jure Civili non posse emptorem agere de evictione adversùs venditorem nisi priùs venditori, etiàm id scienti denunciaverit sibi litem fuisse motam super re vendita.

36 Respondeo enìm in casu dicto, denunciationem faciendam esse venditori, non ad merè notificandam rem aliquam, sed ad aliquid faciendum, id enìm denunciatur venditori, ùt ipse litem in se suscipiat, & in ejus prosecutione emptori assistat; in hoc autem casu juxtà *Bartol. loc. cit.* denunciatio fieri debet etiam scienti.

37 Rogabis quintò. An absens possit constituere Procuratorem, qui suo nomine suffragium ferat.

38 Respondeo affirmativè, dummodò tria copulativè
39 concurrant. Primò, quod absens sit in loco, ex quo
40 possit, & debeat vocari. Secundò, quod justè impe-
41 diatur ne ad electionem accedat. Tertiò, quod committat vices suas uni ex electoribus *Text. in cap. quià propter*,

proptèr §. Illud autèm hoc tit. ibique Butr. num. 13. Joan. Andr. num. 33. Rot. decis. 371. num. 4. & decis. 374. num. 6. & 7 part. 14. rec.

42 Urgebis tamèn, quæsitum ulterius sciscitando. An Procurator ità constitutus possit in hoc casu duo dare suffragia, unum nomine principalis, aliud nomine proprio.

43 Respondeo cum distictione. Si mandatum procuræ sit generale, itaùt possit eligere quem velit, poterit dare unum tantùm suffragium; sin autèm mandatum procuræ sit speciale ad eligendam certam, & determinatam personam, poterit dare duo suffragia, unum nomine mandantis, aliud nomine proprio *Text. est in cap. si quis §. Porrò hoc tit. in 6. ibique Glos. in v. nihil agit, & in verb. illam.*

44 Ratio primæ partis distinctionis est; Quià Procurator tenetur eligere meliorem, & digniorem, adeòque quando ex vi mandati generalis unum eligit, censetur eligere digniorem, & per consequens alium eligere nequit.

45 Ratio secundæ partis distinctionis est; Quià quando Procurator habet mandatum speciale procuræ, illum, quem eligit nomine principalis, non dicitur propriè eligere, sed merè præsentare electionem factam à principali, & consequentèr non impeditur, quin possit nomine proprio alteri suffragium impendere.



TITULUS XI.

De Postulatione Prælatorum.

1 AFFINITATEM, quam habet hic titulus ad præcedentem, ex hoc dignosce, quod eligendus in Prælatum nullo laborare debeat im-
2 pedimento canonico. Hæc autèm impedimenta sunt duplicis generis. Alia indispensabilia, quibus vel nequit, vel non solet Superior dispensare, ùt si aliquis sit omninò illiteratus, morum infamia laboret, sit bigamus &c.

3 Alia sunt dispensabilia, quibus Superior dispensare potest, ac solet; ùt impedimentum proveniens ex illigitimis natalibus, ex vinculo alterius Episcopatus &c.

4 Quamvìs autèm laborans impedimento dispensabili nequeat in Prælatum renunciari per verbum *Eligo*; potest tamèn renunciari per verbum *Postulo*.

5 Sciendum siquidèm postulationem à sacris Canonibus inductam fuisse in subsidium electionis; per illam enim Capitulum preces porrigit, & postulat à Superiore, ùt dispenset impedimento illi, quo postulatus detinetur, eumque ex inhabili habilem reddat. Quare definitur postulatio *Concors Capituli Superiori facta petitio ejus, qui non potest eligi in Prælatum*.

6 Dicitùr *Concors Capituli petitio*, quià postulatio, ùt valida sit, fieri debet à majore Capituli parte, quæ non sit minor tertia *cap. bonæ hoc tit.*

7 Dicitur autèm *petitio*, ùt differat ab electione, quæ

Voca-

Vocatio appellatur, quià eligentes ipsi ex justitia vocant electum ad Dignitatem vacantem, per postulationem autèm, quæ innititur gratiæ, petitur à Superiore relaxatio impedimenti canonici, quo pòstulatus detinetur.

8 Quarè per electionem acquiritur Jus Prælaturæ, non verò per postulationem antequàm à Superiore fuerit admissa *cap.* 3. *hoc tit. Garz. de benefic. part.* 4. *cap.* 3. *num.* 7. *Lavor. var. elucubrat. tom.* 1. *tit.* 4. *cap.* 13. *num.* 32. & *cap.* 9. *num.* 109. Ideòque Electores non possunt recedere ad electionem illa completa, & publicato scrutinio, quià jàm jus est quæsitum electo *cap. publicato de electione*; secùs verò postulantes antequàm præsentavèrint Superiori postulationem *DD. in dicto cap. publicato*.

9 Postulatio autèm est solemnis alia, alia simplex. Solemnis est, quando petitur à Superiore, ùt dispenset super impedimento; quæ est propria postulatio, quàm hactenus exposuimus. Simplex est, quando petitur ab aliquo non dispensatio, sed licentia, ùt scilicèt præstet consensum suum in promotione postulati proptèr peculiare Jus, vel interesse, quod habet in illo; putà, ùt Religiosus eligatur in Episcopum, requiritur Prælati Regularis licentia per *Text. in cap. si Religio-*
10 *sus*, & *cap. si Abbatem de elect. in* 6. Hæc autèm licentia plurimùm distat à dispensatione; nàm quando datur licentia non solvitur, seu relaxatur ipsa lex, proùt fit quando dispensatur, sed solùm ponitur conditio à lege requisita, qua posita cessat obligatio legis, juxtà *Abb. ad rubricam hujus tit. num.* 1. sed.

11 Rogabis primò. An Episcopus debeat solemnitèr postulari si promovendus sit ad alium Episcopatum.

12 Respondeo affirmativè per *Text. in cap. ult. hoc tit.*

 quià

quià debet ſolvi à conjugio ſpirituali cum priore Eccleſia contracto, ùt dixi ſuprà *in materia de translatione Epiſcopi*.

13 Rogabis ſecundò. An Cardinalis ad Epiſcopatum eligi debeat, vel poſtulari.

14 Reſpondeo cum diſtinctione, ad mentem *Abb. in cap. Eccleſia num.* 15. *de electione*. Si ſit Cardinalis Epiſcopus, debet poſtulari ſolemnitèr, juxtà dicta in §. *Præcedente*. Sin autèm ſit Cardinalis Presbyter, vel Diaconus, debet poſtulari poſtulatione ſimplici, petita merè licentia à Romano Pontifice. Ratio eſt, quià nullibi Jus Canonicum prohibet, ne Cardinalis promoveatur ad Epiſcopatum, ſed ſolùm vetat ne hoc fiat inconſulto Pontifice *cap. Eccleſia veſtra de elect. ibique Panorm. num.* 13. *& Paſſerin. de elect. cap.* 24. *num.* 37. *circà med.*

15 Non obſtat primò *Text. in cap. bonæ hoc tit.* ubi dicitur Cardinalem poſtulari in Archiepiſcopum.

16 Siquidem cum in *cap. Eccleſia de electione*, Cardinalis dicatur expreſsè electus, & correctio jurium ſit vitanda, vel dici debet objectum *cap. bonæ* intelligendum eſſe de poſtulatione ſimplici, & non ſolemni, vel ibi poſtulationem accipi pro electione, cum hæc nomina ſæpè ſæpius in Jure confundantur, ùt advertit *Abb. in d. cap. bonæ num.* 5. *& Barboſ. ibid. n.*8.

17 Non obſtat ſecundò. Si inquis Cardinales eſſe majores Epiſcopis, in Eccleſiis ſuorum titulorum habere juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ùt alibi monui, ſed Epiſcopus, ex dictis, debet ſolemnitèr poſtulari; ergò &c. Præſertìm quià indecens eſt aliquem per electionem deſcendere à majori Dignitate ad minorem, juxtà *cap.* 1. *de translat. Epiſc.*

18 Reſpondeo enim cum *Abb. in cit. cap. Eccleſia n.* 15. *& 16.*

& 16. Cardinales esse majores Episcopis ratione officii, cum constituant unum corpus cum Pontifice, ejusque sint Coadiutores, cœterum ratione ordinis, minores Episcopis esse, cum non detur in Ecclesia ordo major Episcopali, & ideò Papa ipse cum se denominat ab ordine se appellat Episcopum, ùt patet in *præmio sexti Decretalium*.

19 Rursus. Dato etiàm, quod Cardinalis non Episcopus simplicitèr sit major Episcopo, tamèn eligi poterit in Episcopum, quià causa vera cur Episcopus ad novum Episcopatum postulandus sit, non est, quod eligendus necessariò promoveri debeat ad majorem Dignitatem, licèt id sit conveniens, sed quià cùm priori Ecclesiæ sit vinculo spiritualis matrimonii obligatus, nequeunt in eum Electores consentire, nisi per dispensationem Superioris tale vinculum relaxetur. Cùm ergò Cardinalis non Episcopus ab istiusmodi vinculo sit solutus, non habet impedimentum, quo minùs Electores, citrà dispensationem Superioris, possint consentire in promotionem illius ad Episcopatum.

20 Rogabis tertiò. Coram quo Superiore sit facienda postulatio.

21 Respondeo. Coram illo, ad quem spectat Prælati confirmatio, dummodò habeat potestatem dispensandi super impedimento postulati, quià admissio postulationis habet vim confirmationis *Abb. in cap. fin. num.* 10. *hoc tit.*

22 Rogabis quartò. An Superior possit non admittere postulationem præsentatam.

23 Respondeo. Si spectes obligationem strictę justitiæ, potest; quià admissio postulationis est mera gratia, cùm postulatus, utpotè inhabilis, nullum habeat jus ad eam exigendam; ergò non fit injuria sit talis gratia ei de-

ei denegatur *cap. cum postulationem hoc tit. Glos. in cit. cap. bonæ v. gratia, & Tholos. tract. de elect. cap.2. nu.11.* Si verò respicias ad debitum officii pastoralis, nequit Superior reiicere postulationem legitimè factam, quià ex officio tenetur publicum Ecclesiæ bonum, majoremque utilitatem promovere. Ità *Glos. cit. & Laym. in quæst. Canonic. de Prælat. elect. quæst.* 8. ac optimè distinguens *Passerin. loc. cit cap.* 24. *num.* 48.

24 Rogabis quintò. Quid dicendum sit in casu, quo postulatio Capitularibus discordantibus concurrat cùm electione.

25 Respondeo. Ut postulatio prævaleat electionis, debent duæ partes Capitularium postulasse, una elegisse per *Text. in cap. scriptum de elect.* Ratio est, quià, quod major pars fecit omnes fecisse videntur: v. g. sint Electores 30. viginti postulent, decem eligant, postulatio præponderabit.

26 Rogabis sextò. Quæ pœna militet contrà scientèr postulantes indignum.

27 Respondeo privari pro ea vice jure postulandi, & eligendi. Ità *cap. 2. hoc tit. d. cap. scriptum in fin. & Glos. in cap.* 1. *v. privare hoc tit.* Ratio est, quià eadem pœna decernitur contrà eligentes indignum in *cap. cum in cunctis de electione*. Electio autèm, & postulatio, etiàm quoad pœnas in Jure æquiparantur, quippe quæ temdunt ad eumdem finem providendi Ecclesiæ vacanti *Glos. in cap. si postquam de electione in sexto v. provisione*, & in hoc casu jus eligendi, seu postulandi devoluitur ad innocentes, licèt numero pauciores *cap. 2. hoc tit.* imò etiàm ad unum tantùm superstitem *Glos. in dicto cap. 2. v. pauciores Barbos. de Jur. Eccles. tom.* 1. *cap.* 19. *num.* 86. *Rot. decis.* 156. *num.* 11. *& seqq. part.* 19. *rec.* Ratio est quià in delictis, quod

quod fit à majore parte non censetur factum ab omnibus, ùt notat *Abb. in dicto cap. 2. num. 6.* & Jus Universitatis virtute, & habitu manet in aliis, qui non peccaverunt *Abb. loc. cit. num. 9. & Glos. in cap. 1. v. duo de electione*. Quare ob allatas rationes, si duæ Capituli partes scientèr postulaverint indignum, & tertia dignum elegerit, confirmari debet electio, licèt à minore parte facta *dicto cap. scriptum in fin. de electione*.

28 Secus autèm dicendum erit si duæ Capituli partes ignorantèr postulaverint indignum, & tertia dignum elegerit; tunc enim non valebit nec electio, nec postulatio. Postulatio enim facta ignorantèr circà personam indignam non privat postulantes Jure eligendi, nec illud devoluit ad minorem partem dignum eligentem. Ità *Abbas in dicto cap. scriptum num. 14. in casu 3.*

29 Nequit tamèn fieri postulatio nisi necessitate, vel majore utilitate eam suadentibus, non secus ac dixi de causis Episcopos transferendi; & sentiunt DD. communitèr.



TITU-

TITULUS XII.

De Jurepatronatus.

1 JUSPATRONATUS, tertius nempè modus acquirendi Beneficia vacantia, definitur: *Jus, seù potestas nominandi, vel præsentandi Clericum instituendum in Beneficio*. Et hoc Jus non est merè spirituale,
2 sed tantùm spiritualibus annexum, quià est mera præparatio, & ordinatio ad Beneficium Ecclesiasticum, ad quod dat Jus præsentato; & ùt ait *D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 4. se habet ùt vasa sacra, & ornamenta Ecclesiarum, quæ merè præparatoria sunt ad peragendas res spirituales. Est autèm triplex, Ecclesiasticum nempè, sæculare, & mixtum.

3 Ecclesiasticum est, quod competit Collegio Ecclesiastico, aut personæ Ecclesiasticæ, non tamèn ratione Patrimonii, sed ratione Dignitatis, seu Beneficii Ecclesiastici, quod habeat.

4 Sæculare est, quod competit privato, vel interìm sit Laicus, vel Clericus, dummodò si Clericus sit, illud habeat, non ratione Clericatus, sed Patrimonii.

5 Mixtum verò, vel est illud, quod competit tùm Collegio Ecclesiastico, aut Clerico ratione Clericatus, tùm alteri personæ ratione Patrimonii sui; vel est illud, quod eidem competit partim ratione Patrimonii sui, partim ratione Dignitatis Ecclesiasticæ.

6 Rursus, aliud est Juspatronatus hæreditarium, quod transit ad quoscumque hæredes etiàm extraneos, aliud familiare, seu agnatitium, quod illis tantùm de aliqua

aliqua familia, & descendentia relictum est, & aliud mixtum, seu ex pacto, & providentia, relictum scilicèt hæredibus, & successoribus, juxtà *Actolin. resol.* 58. *num.*9. *Card. de Luc. hoc tit. discur.*24. *num.* 6. *Rot. coram Buratt. decis.* 647. *num.*3. *&* 4. *& in recent. de-*
7 *cis.*267. *sub num.*5.*part.*6. Quo casu illud prætendens, non tantùm probare debet descendentiam à Fundatore, sed etiàm qualitatem hæreditariam; quàm tamèn satis est si probet respectu primi acquirentis, & quoad alios ab eodem descendentes, probet se fuisse hæredem in potentia, & in gradu successibili, nec per ipsum stetisse quìn eorum etiàm hæres fuerit, ad tradita per *Lotter. de re benefic. lib.* 2. *quæst.* 11. *num.*47. *& seqq. Card. de Luc. loc. cit. discur.* 30. *num.* 3. *& seqq. Rot. in recent. decis.* 217. *num.* 20. *& decis.* 267. *num.* 8. *part.*6. *decis.*254. *num.* 17. *part.* 11. *decis.*100. *sub num.* 20. *part.* 12. *vers. & quatenùs, decis.* 112. *num.* 16. *cor. Priol. & in Romana Beneficiatus S. Laurentii in Damaso* 16. *Februarii* 1688. §. *Non refragante cor. clar. mem. Card. Caccia*.

8 Plura tamèn intercedunt discrimina intèr Juspatronatus Ecclesiasticum, & sæculare, quæ lato calamo referuntur à *Vivian. lib.*1. *de Jurepatr. cap.*3. Eorum tamèn primum est, quod Patronus laicus possit variare præsentando plures simul, vel successivè unum post alium, itaùt Episcopus ex illis seligat magìs idoneum, per *Text. in cap. quod autèm hoc tit.* Patronus autèm Ecclesiasticus variare nequeat, per *Text. in cap. cùm autèm tit. eodem*.

9 Ratio est. Primò, quià Patronum Ecclesiasticum dedecet instabilitas, & variatio.

10 Secundò, quià habet longiùs tempus quàm Laicus ad præsentandum, ùt mòx patebit.

11 Tertiò, quià præsumitur illum melius quàm Laicum noscere Clericos idoneos ob assiduam conversationem cum illis. Hanc tamèn variationem præsentationis Patronus laicus facere debet non privativè, sed cumulativè, ideſt non reiiciendo prius præsentatum, sed illi alios cumulando, & addendo, ùt notant *Jo: Andr. in dicto cap. cum autèm num. 6. Vivian. de Jurepatr. lib. 10. cap. 1. num. 11. & cap. 3. num. 7. & seqq. Capon. discept. 74. num. 15. Barbos. de offic. Episcopi alleg. 72. num. 158 Corrad. in prax. benefic. lib. 3. cap. 2. num. 34. & 35. Rot. decis. 176. num. 8. par. 15. rec. & in Cracovien. Scholasteriæ 16. Junii 1698. §. Nihilominus, & seq. cor. R. P. D. Ansaldo.*

12 Licèt ob duas causas possit Patronus laicus resilire à prima præsentatione, & secundum privativè nominare; quando nempè, vel prima præsentatio esset aliquo modo nulla; *Fagnan. in cap. cùm autèm hoc tit. num. 9. & 10. Valenzuel. cons. 32. num. 98. Adden. ad Panphil. dec. 706. n. 16. & decis. 722. num. 11.* Vel quando primò præsentatus esset in capax, & inhabilis ad obtinendum Beneficium, ad quod fuit præsentatus *Fagn. in cap. cùm vos n. 33. de offic. Jud. ordin. Rot. cor. Priol. dec. 91. n. 4. & in d. Cracovien. §. Non poterat.*

13 Dices autèm. Præsentatus acquirit per præsentationem jus petendi ab Episcopo institutionem in Beneficio *cap. Pastoralis hoc tit.* sed jus alteri quæsitum sine ejus voluntate àb eo auferri nequit *l. diem §. Non autèm ff. de aqua pluvia &c.* ergò &c.

14 Respondeo. Præsentatum antè institutionem habere jus ad rem, non in re; opposita autèm regula de jure quæsito non tollendo militat in Jure perfectè acquisito hoc est in re, nec habet locum in casu, quo oppositum in Jure reperiatur statutum, proùt est in casu nostro.

Quau-

15 Quare si primò præsentatus acquisiverit aliud Jus in Beneficio extrà præsentationem, puta quià cùm fuerit ab Episcopo rejectus, ùt inhabilis, litem super hoc moverit, in tali casu Patronus laicus variare non poterit alium præsentando; nulla enìm invocatio fieri potest lite pendente. Ità *Covar. pract. quæst. cap. 36. num. 7. & Garz. part. 5. de benefic. cap. 9. n. 217.*

16 Secundum discrimèn est, quod Patronus laicus habet spatium quatuor mensium ad præsentandum; Ecclesiasticus verò sex mensium: Ratio est, quià longius tempus concedi debet Ecclesiastico ad præsentandum, cum iste nequeat variare præsentationes, adeòque in uno gravatus, in alio debeat sublevari. Ità *Text. in cap. unico hoc tit. in 6.*

17 Idemque dic si Juspatronatus sit mixtum, puta quià sint Compatroni Laicus, & Ecclesiasticus; in hoc enìm casu Laicus etiàm per consortium Ecclesiastici habebit spatium semestris ad præsentandum. Ità *Glos. fin. in d. cap. unico §. Verum Garz. part. 5. de benefic. cap. 9. num. 210. Rot. coram Mantic. decis. 292. num. 4. & decis. 376. num. 3. & seqq. part. 13. recent.* Ratio est quià magìs dignus trahit ad se minùs dignum, & socius non privilegiatus per communionem cum privilegiato, privilegium, & commodum alterius socii participat in eadem re communi, & indivisibili *Text. in l. si communem ff. quemadmodum servit. amittat.*

18 Nota tamèn, quod Laicus non obstante societate cum Compatrono Ecclesiastico, adhùc possit variare in præsentando, quià ex tali communione sentire quidem debet commodum habendo tempus semestris ad præsentandum, non autèm incommodum, sive privationem Juris sibi alios competentis. Ità *Zæsius ad tit. nostrum num. 47. Abb. in cap. cum autèm num. 4.*

*de Jurepatr. Vivian. de Jurepatr. lib.*10. *part.*2. *cap.*1. *num.* 27. *&* 28. *Rot. decis.* 250. *num.* 21. *part.* 12. *rec.*

19 Tertium discrimen est, quod Patronus Ecclesiasticus præsentans sciente̊r indignum privandus sit ea vice Jure præsentandi; secùs autèm Laicus, qui solùm monendus est,ùt dignum præsentet.

20 Ratio est,quià Laicus censetur minus expertus circà negocia Ecclesiastica, quàm Ecclesiasticus, & minùs temporis habet ad præsentandum,ob quod etiam potest variare.Ità *Fagnan. in cap. cum vos de offic. Jud. ordin. num.* 46. *& seqq. ibique Glos. in verb. minùs idoneæ, & Barbos. in cap. cùm autèm num.* 5. *hoc tit. Pax Jordan. elucubrat. vol.*2.*lib.* 10. *tit.* 7. *n.* 266. *Roch. de Curt. de Jurepatron. verb. honorificum quæst.* 4. *num.* 15. *&* 18.

CAPITULUM I.

Quibus modis, & à quibus acquiri possit Jurispatronatus.

21 PAtronum faciunt, *Dos, Ædificatio, Fundus*, ait *Glos. in Can. piæ mentis* 16. *quæst.* 7. Fundasse Ecclesiam dicitur, qui dedit Fundum, sive Terræ solum, in quo Ecclesia ædificetur. Construxisse, qui suis sumptibus eam ædificavit. Dotasse, qui annuos redditus sufficientes assignavit; Si enim insufficientes assignaverit, benefactor erit non Patronus, juxtà *Barbos. de potest. Episc.* 3. *part. alleg.* 70. *nu.*13.

22 Unoquoque ex his modis acquiri potest Juspatronatus: *Text.* enìm *in Can. filius* 16. *quæst.* 7. loquitur disiunctivè; ait enìm, *qui construxit, vel fundavit Eccle-*

Ecclesia: ergò ex vi propositionis disiunctivæ sufficit alterutrum ad Juspatronatus acquirendum; dummodò tamèn hæc omnia fiant de consensu Ordinarii, quià eo dissentiente nemo potest Ecclesiam construere *cap. nobis in princip. hoc tit. & Can. nemo de consecrat. distinct.* 1. & Sede vacante potest hic consensus præstari etiàm à Capitulo Cathedrali *Barbos. loc. cit. num.* 32.

23 Quod si plures distributivè sumpti Ecclesiam insufficientèr dotaverint, sed ex omnibus dotationibus collectivè acceptis resultet dos sufficiens, æqualitèr, & in solidùm ab illis acquiretur Juspatronatus *Glos. in Can. in summa verb. Laici distinct.* 63. *& Garz. de benefic. part.* 5. *cap.* 9. *num.* 53.

24 Ad constructionem pertinet reædificatio; si enim quis Ecclesiam penitùs dirutam, itaùt nova consecratione indigeat, in totum reædificet, Juspatronatus acquirit, quia proindè est, ac si ab initio extruxisset;
25 etiàmsi eam reædificaverit ex priore materia; adhùc enìm primus Constructor Juspatronatus amittit, quià Jus semel extinctum in re pereunte nunquam revivi-
26 scit *l.* 98. §. *Aream ff. de solutio*. Debet tamèn priùs Ordinarius scíscitari à primò Constructore, an velit eam reædificare, eumque volentem cuicumque debet præferri. Ità *Fagnan. in cap. quoniam hoc tit. n.* 57.

27 Secùs autèm dicendum venit, si Ecclesia aliqua refectione indigeat, sed tota non ruerit; tùnc enìm dicitur eadem Ecclesia, nec per reaptationem nova fit, itaùt nova indigeat consecratione *Glos. in dicto cap. quoniam verb. Fundatores, Lambert. de Jurepatronat. lib.* 1. *part.* 1. *quæst.* 6. *art.* 3. *num.* 11. *& seqq. Rot. cor. Cerro decis.* 120. *num.* 2. *&* 3. *& decis.* 220. *nu.* 26. *&* 27. *part.* 17. *recent.*

Et

28 Et ità pariformitèr dic ſi ab alio alius novum fundum, vel novam dotem Eccleſiæ alicui ſufficiat.

29 Quartò. Acquiri poteſt Juſpatronatus per privilegium ſpeciale Romani Pontificis; requiritur tamèn conceſſione privilegii adjectio clauſulæ derogatoriæ decreto Tridentini, à quo talia privilegia ſunt ſublata, ùt liquet ex eodem *ſeſſ. 25. cap. 9. de reformat.*

30 Accedendo jam ad ſecundam Capituli partem, ad illos ſcilicet, qui Juſpatronatus acquirere poſſunt, vel non. Dico primò. Etiam Mulier conſtruens Eccleſiam acquirit Juſpatronatus habitu, & actu; hoc enim Laicis non ex debito, ſed ex gratia Eccleſiæ indultum fuit, ùt ità faciliùs alligerentur ad conſtructionem Templorum Domini *ad Text. in cap. quoniam hoc tit. & cap. fin. de conceſſ. præben. & latè Pax Jordan. elucubrat. vol. 2. lib. 10. tit. 7. num. 4. & ſeqq. per tot.*

31 Dico ſecundò. Infidelis, puta Judæus &c. & Hæreticus, neque actu, neque habitu acquirunt Juſpatronatus, quamvìs Eccleſiam conſtruant. Si tamèn Infidelis de facto Eccleſiam conſtruxiſſet, deberet illam dotare, ſed Eccleſia evaderet liberæ collationis, juxtà *Lambertin. de Jurepatron. part. 1. quæſt. 5. art.*
32 *8. num. 1. & 2.* Non acquirit primus; quià ùt ait *Gloſ. in Can. frigentius verb. qui Chriſtianis 16. quæſt. 7.* Textus hoc jus concedentes, loquuntur de fidelibus
33 tantùm. Neque ſecundus; quià hæretici bona omnia ipſo Jure confiſcata intelliguntur *cap. cùm ſecundum, de hæret. in 6.* adeòque etiamſi priùs fuiſſet Patronus juſpatronatus eſſet confiſcatum. Ità *Jo. Andr. in cap. nobis hoc tit. num. 3. verſ. de hæretico*, dummodò tamèn confiſcatio bonorum facta non fuiſſet à Judice; aliàs tunc enìm ſub illa non veniret Juſpatronatus

natus

natus *Glos. in Clem. Pastoralis in v. subiectæ de re judic. Garz. part. 5. de benef. cap. 9. num. 28. & seq. Rot. coram Coccin. decis. 232. & 298. utrobique nu. 1. tom. 1. & in Gerunden. Beneficii* 28. *Aprilis* 1690.

34 §. *Quibus præcognitis coram bo. mem. Benincasa*; nisi in casu, quo illud transeat accessoriè ad Castrum, vel universitatem bonorum confiscatam *Farinacc. de pœn. quæst. 25. num. 156. & seq. Molin. de primog. lib. 1. cap. 24. num. 26. ibique Adden. & Rot. d. Gerunden. loco cit. in fine.*

35 Dico tertiò. Excommunicatus excommunicatione majori, si Ecclesiam construat, acquirit Juspatronatus habitu, sed non actu: Ità *Jo. Andr. loco cit. vers. de excommunicato*. Ratio est, quia antè absolutionem præsentare nequit, cum antè illam nullam possit habere exercitium Juris Ecclesiastici. Ità *Jo. Andr. loco cit. vers. de excommunicato ibique Card. quæst. 5. nu. 6. & Abb. num. 3.*

36 Est autèm Juspatronatus respectu Patroni honorificum, utile, & onerosum, juxtà versiculos relatos ab *Hostien. in cap. nobis hoc tit. num. 3.*


Patrono debetur, honor, onus, emolumentum;
Presentet, præsit, defendat, alatur egenus.

37 Honorificum primò est ob honorem processionis, quæ Patrono debetur, ùt ait *Text. in dicto cap. nobis.* Quid autèm sit hic honor, disputant *DD. Fagnan.*
38 enim *in dicto cap. num. 29.* sentit cum *Joan. Andr.* hunc honorem consistere in ipsa præsentatione, quià Patronus procedit ad Episcopum cum Clerico præ-
39 sentato *Cardin. in d. cap. §. Pro fundatione nu. 4.* censet hunc honorem haberi per hoc quod Patrono ad Ecclesiã accedẽti occurratur processionalitèr, dummodò ipse sit capax talis honoris, puta sit Rex, Imperator &c.

&c. ibique *Abb. & Anchar*. exemplificant in Duce
Venetiarum Patrono Eccleſiæ Sancti Marci,ad quam
40 accedens hoc honore donatur *Butr.* autem *ibidem*
*num.*21.cenſet honorem proceſſionis ſtare in eo,quod
Patrono in Eccleſia, vel proceſſionibus Princeps lo-
cus debeatur, & primus ad thurificationem,vel pa-
cem dandam debeat procedere; hæcque explicatio
nunc temporis eſt fortaſsè accommodatior, & verior:
41 licèt ut aſſerit *Fagnan. in d. cap. nobis nu.* 21. *& ſeqq.*
non debeat Patronus habere locum honoratiorem ip-
ſo Domino, ſeù Barone loci, in quo ſita eſt Eccleſia;
hic enìm, cum in omnes ſubditos juriſdictionem ha-
beat contentioſam,& perpetuam majorem honorem,
cœteris habere debet.

42 Oneroſum verò dicitur Juſpatronatus. Primò,quià
Patronus tenetur præſentare dignum, & idoneum.
Secundò, quià Jure Eccleſiæ tueri debet *Can.* 31. 16.
quæſt. 7.

43 Utile demum, quià ſi Patronus cum Uxore, &
liberis ad inopiam vergat, alendus eſt ex redditibus
Eccleſiæ, ſuperfluis tamèn ejuſdem neceſſitatibus, &
Beneficiati *d. cap. nobis hoc tit.*



CAPI-

CAPITULUM II.

Quibus modis Juſpatronatus in alium transferri poſſit.

44 SIcuti ex permiſſione Eccleſiæ factum dixi, ùt Laicus capax fieret juriſpatronatus, ità ex ejuſdem benignitate promanavit, ùt in alios juſpatronatus poſſet transferri.

45 Hocque primò evenit in jurepatronatus hæreditario, conſtituto ſcilicèt à Fundatore pro ſe, & ſuis heredibus quibuſcumque, in quo ſuccedit quicumque fuerit hæres Fundatori, vel interìm ſit ex ejus lineà, vel extraneus, per *Text. in cap.* 1. *hoc tit. ibique Abb. num:* 2.

46 Si verò Fundator plures relinquat hæredes, puta quatuor filios, iſti in Jurepatronatus ſuccedunt in ſtirpes, & non in capita, hoc eſt Juſpatronatus ad omnes in ſolidùm devolvetur, ſed quotquot fuerint, unam tantùm vocem repræſentabunt, ſive unum ſuffragium habebunt in præſentando *d. cap.* 1. *in princ. & Clem.* 2. *in princip. tit. eodem, & Can. filiis* 16. *queſt.* 7. *&* *deciſ.* 204. *num.* 2. *part.* 12. *deciſ.* 352. *num.* 8. *&* 23. *ac ſeqq. part.* 16. *& deciſ.* 99. *per tot. part.* 17. *recent.*

47 Ratio primæ partis aſſertionis eſt; quia Juſpatronatus eſt res incorporalis, ideòque indiviſibilis quoad ſubſtantiam, hinc non poteſt eſſe partim in uno,

48 & partim in alio hærede: Ratio ſecundæ partis aſſertionis eſt, quià juxtà *Text. in cap. paſtoralis de reſcriptis* plures habentes cauſam ab uno, habentur loco

unius; sed plures hæredes ejusdem Patroni succedunt in locum unius tantùm, & unius personam repræsentant; ergo unam tantùm vocem habebunt, quàm scilicet haberet author illorum si viveret.

49 Confirmatur; nàm si ex duobus Patronis unus decederet pluribus hæredibus relictis, & unusquisque illorum haberet suam vocem distinctam à vocibus aliorum, sequeretur, quod vox Patroni superstitis extenuaretur sine facto proprio, quod fieri nequit.

50 Adverte tamèn primò, ad evitandas discordias, & ùt citiùs Ecclesiis vacantibus provideatur, posse plures Compatronos inter se convenire, ùt alternatìm inter se præsentent, vel unus in tot mensibus, alii in reliquis, juxtà *Clem. plures* §. *Et ùt faciliùs hoc tit.*

51 Advertè secundò, quod possit esse plures Compatroni ejusdem Jurispatronatus duplicitèr, vel itaùt hoc jus pertineat ad eorum singulos, & seorsìm; vel
52 ad omnes, & conjunctìm. Primo casu, si pertineat ad singulos seorsìm (quòd in dubio præsumendum venit per *Garz. de benef. par.* 5. *cap.* 9. *num.* 222.) puta, quià unus Ecclesiam fundaverit, alius dotaverit &c. tunc quilibet per se præsentare potest, & ille in quem consenserit major pars Patronorum comparatione aliarum seorsìm acceptarum est cæteris præferendus; v.g. si Jus præsentandi spectet ad 12. & unus 6. suffragia habuerit, alius 4. & alius duo, qui habuit sex est præferendus, quià sex est numerus major non respectu totius numeri scilicet 12. sed respectu partium minorum nempè 4. & 2. per *Text. in cap. quoniam hoc tit. ibique, Abb. num.* 13. *Anchar. quæst.* 2. *num.* 8. *Vivian. loco cit. lib.* 12. *cap.* 8. *num.* 3. *Cardin. de Luc. hoc. tit. disc.* 61. *num.* 16. *& seqq. Barbos. de potest. Episcop. alleg.* 72. *nu.* 198. *Rot. cor. Merlin. decis.* 423. *nu.* 19. *dec.* 416.

decis. 416. *nu.* 9. *part.* 9. *tom.* 2. *&* *decis.* 708. *num.* 15. *part.* 18. *recent. tom.* 2. *& novissimè in Melevitana Jurispatronatus* 4. *Julii* 1698. §. *Supposita, coram R.P.D. Lancetta*.

53 Sin autèm Jus spectet ad plures conjunctim sumptos, quià ad Collegium, vel Universitatem, præsentatio fieri debet concorditèr à majore parte Communitatis. V.g. si ad 12. spectet Jus præsentandi, requiritur, quod septem consentiant in unum, hic enim est numerus major respectu totiùs, nec sufficit si 4. unum, 4. aliùm, duo alium, & duo alium præsentent. Vide *Abbatem in dicto cap. quoniam*. Imò hoc casu præsentatio facienda est à toto Collegio collegialitèr congregato, & si absentes neglecti fuerint, vel non vocati, possunt petere rescissionem præsentationis *arg. cap. quod sicut, & cap. bonæ de electione &c. Rot. decis.* 39. *nu.* 9. *& seqq. & dec.* 154. *nu.* 12. *part.* 12. *& dec.* 262. *ferè per tot. part.* 14. *rec.*

54 Queres autèm; an Juspatronatus gentilitium, reservatum scilicèt illis de familia, & agnatione Testatoris, possit extincta familia transire ad hæredes extraneos agnatorum.

55 Respondeo cùm distinctione. Vel fuit reservatum illis de familia taxativè, puta addita particula *tantùm*, & tunc Juspatronatus, extincta familia, extinguitur, & Ecclesia evadit libera; quià Testator potuit Juspatronatus remittere in totum, vel in parte, & de eo disponere ad libitum in præjudicium descendentium. Sicuti Juspatronatus relictum filiis masculis non transit ad fœminas, si masculi cessaverint, juxtà *Gemin. cons.* 45. *num* 70. Vel Juspatronatus fuit reservatum familiæ simplicitèr, & ea cessante transit ad hæredem extraneum ultimi morientis de familia.

56 Prima ratio est; quià Lex facit Juspatronatus trāsmissibile ad hęredes extraneos; provisio autèm hominis regularitèr non tollit provisionē legis in eodem casu *l. si cum dotem in princ.* & ibi *Bartol. col.* 1.
57 *in fin. ff. soluto matrim.* Secunda ratio, & validior est quià in hoc casu potest servari provisio hominis, & Legis, cùm versentùr circà diversa: Homo enim providit in casu durationis familiæ, casum autē ejus deficientię censetur reliquisse dispositioni Juris cōmunis, quod Juspatronatus devoluit ad hæredes extraneos. Quando autèm provisio Legis est in defectum provisionis hominis, tunc silet lex ubi loquitur homo. Quandò verò provisio Legis est circa diversa à provisione hominis, una aliam cessare non facit, sed utraque servanda est; ùt formalitèr ait *Bald. in l. certi Juris num.* 1. *C. locati.* Ità distinguunt *Paris. consf.* 48. *num.* 6. *lib.* 4. *Calderin. consil.* 4. *Anchar. cons.* 81. *Rocchus de Curte de Jurepatron. verbo competens num* 2. *vers. & præmissam, Pax Jordan. elucubr. vol.* 2. *lib.* 10. *tit.* 7. *num.* 136. *Rota decis.* 385. *part.* 1. *divers. coram Seraphin. decis.* 364. *num.* 8. *&* *dec.* 378. *num.* 9. *& coram Bich. dec.* 581. *per tot. tom.* 2.
58 Nec obstat, quod Testator adjunxerit verbum *de*
59 *familia*; Illud enim non censetur adiectum taxativè, seù exclusivè, sed tantùm demōstrativè, & quatenùs rationem aliquam importaret, intelligeretur durante familia, non autèm ea deficiente, ùt advertunt *Calderin. & Anchar. locis citatis*.
60 Sicuti non valet dicere à pari; quod Juspatronatus concessum Universitati non possit transferri in eos, qui sunt extrà Universitatem, juxtà *Lambertin. de*
61 *Jurepatr. part.* 1. *lib.* 1. *art.* 9. *num.* 12. Universitati enim, non potest dari hæres, sicuti datur ultimo morienti de familia. Secun-

62 Secundò, per donationem Patroni potest Juspatronatus in Donatarium transferri; interveniente tamèn consensu Episcopi *cap. illud*, *&* *cap. cùm sæculum hoc tit.* *&* *cap. unic. eodem tit. in sexto*. *Dec. consil.* 41. *num.* 2. *Put. decis.* 18. *num.* 1. *lib.* 2. *Rota decisione* 337. *num.* 4. *part.* 2. *&* *in Comen. Jurispatronatus* 28. *Aprilis* 1692. §. *Altera coram R. P. D. Caprara*, qui con-
63 sensus sufficit si accedat ex post facto *Abb. in cap. cura nu.* 11. *hoc tit. Rot. coram Duran. decis.* 415. *num.* 5. *decis.* 130. *num.* 18. *part.* 11. *recent.* *&* *in dicta Comen.* §. *Et quamvis in princ.* Imò si Juspatronatus donetur Universitati Ecclesiasticæ, & Ecclesiasticum fiat, nullatenùs requiritur consensus Episcopi; quià tunc Beneficium redit ad naturam suam, evadit manus laicorum, per. *Text. in cap. illud hoc tit.* *&* *cap. unic. tit. eodem in sexto*, *&* *Rota coram Duran. decis.* 463. *nu.* 3.

64 Et hæc omnia, quæ hactenùs dixi de donatione Jurispatronatus inter vivos, omninò militant, si illud alicui relinquatur titulo legati in testamento, ùt docent *Jo. Andr. in cap. cum sæculum num.* 2. *hoc tit. ibique Abbat. num.* 6. cùm legatum etiam sit donatio quædam facta à Testatore legatario, ùt liquet ex *titulo Institut. de legat. in princ.*

65 Quod si quæras, an Juspatronatus possit in alium per venditionem transferri.

66 Respondeo primò, per se, & directè vendi non posse absque Simoniæ labe, cùm sit res spiritualibus annexa, per *Text. in cap. de Jure hoc tit.* *&* *Tridentinum sess.* 25. *cap.* 9. *de reformat.*

67 Respondeo secundò; Si vendatur universitas bonorum, puta Castrum, Villa, hæreditas &c. cui cohæreat, & annexum sit Juspatronatus, etiàm hoc per accidens, & concomitantèr vendi potest, dummodò

tamèn

tamèn dd. bona non vendantur cariùs eò quià habent annexum tale Jus *Text. est apertus in cap. ex literis, hoc tit.* Ratio est, quià in tali casu venditio censetur principalitèr facta super ipsa universitate bonorum, Juspatronatus autèm utpotè accessorium ad bona, quibus cohæret, debet ad illum transire, ad quem bona principalia transeunt: Ità *Abb. in citato capitulo num. 2.*

68 Obiicies tamèn sic primò. Non potest cùm hæreditate vendita transire in emptorem Juspatronatus, sed hæreditas vendita est universitas bonorum per *Text. in l. bonorum ff. de verb. & rer. signif.* ergo &c. Probò majorem. In venditione hereditatis requiritur specialis traditio singularum rerum venditarum, ùt notant DD. omnes *in l. qui tibi C. de hæred. vel actio. vend.* & per consequens requiritur specialis traditio Jurispatronatus; sed si Juspatronatus specialitèr traditur, specialitèr venditur, & per se quòd fieri nequit; ergo &c.

69 Respondeo primò. Licèt requiratur in casu posito specialis traditio Jurispatronatus, non ideò fieri specialem ejus venditionem, cùm illud sit accessorium ad hæreditatem venditam.

70 Respondeo secundò. Etiamsi in venditione hæreditatis, vel cujuscumque universitatis bonorum fiat expressa mentio Jurispatronatus, puta dicatur = *Vendo tibi hoc Castrum, cùm Jurepatronatus*, non ideò dicitur necessariò vendi per se Juspatronatus, quià quotiès verba sunt dubia, & in bonam significationem, ac ad exclusionem delicti accipi possunt, totiès ità sunt accipienda, juxtà *cap. 2. de reg. Jur.* Ista autèm verba simplicitèr, & indefinitè prolata possunt importare hunc sensum, quod ideò sit expressum in venditione Juspatronatus, ne intelligatur exceptum, reser-

vatum

vatum, seù separatum à re vendita; quàmvis enim eo ipso quod non excipitur intelligatur translatum in emptorem, quià accessorium sequitur suum principale tamèn expressio ejus, quod tacitè inest, non vitiat actum sed majoris declarationis gratia censetur adjectum. Ità *Navar. consf. lib. 3. consf. 3. hoc tit.*

71 Obiicies secundò *Text. in l. quæ religiosis ff. de re vindic. & in cap. quod in dubiis de consecr. Ecclesf.* in quibus habetur, magìs dignum trahere ad se minùs dignum; sed Jus patronatus, utpotè spirituale, est dignius universitate bonorum, utpotè temporali; ergo &c.

72 Respondeo, dictam regulam militare quando magìs, & minùs dignum considerantur æquè principalitèr, & per se non autèm quando magìs dignum consideratur, ùt annexum, & accessorium ad minùs dignum principale. Ut autèm aliquid dicatur principale, vel accessorium non habetur respectus ad magìs, vel minùs dignum, sed tantùm id quòd prima intentione, & per se intenditur, dicitur principale, quod autèm fit proptèr aliud, dicitur accessorium, etiamsi hoc sit magìs dignum eo quod intenditur per se. Ità de Jure Civili statutum habemus alienam purpuram bona fide tuæ Vesti intextam dici accessoriam ad illam, & tibi acquiri, quamvis sit tua veste pretiosior, per *Text. in §. Si tamèn alienam Instit. de rer. divisf.*

73 Obiicies tertiò *Text. in cap. cùm Bertholdus de sent. & re judic.* definientem, quod si à debitore fuerit creditori oppignorata Villa, cui erat annexum Juspatronatus, illud non transeat in creditorem, sed apud debitorem remaneat: ergo à pari ea Villa vendita, neque transibit in emptorem illius Juspatronatus.

74 Respondeo disparitatem esse, quià in objecto casu domi-

cap. abolendæ de sepult. sed hoc non obstante, sepultura per se vendi potest, & quotidiè venditur, ùt liquet ex *Can. quæsta*, *& Can. postquam* 13. *quæst.* 2. *& ex cap.* 23. *Geneseos*, ubi legitur Abraham emisse sepulturam à filiis Ephron ad humandum corpus Uxoris suæ: ergò etiàm vendi poterit per se Juspatronatus; ergò vel non potest vendi per accidens, vel potest vendi etiàm per se.

79 Respondeo, Leges prohibentes venditionem sepulturę accipiendas esse de sepultura necessaria danda fidelibus in communi Ecclesiæ Cæmeterio; illa etenìm nullo modo vendi potest, quià spectat ad virtutem Religionis mortuos sepelire: Potest autèm emi terra communis, nec adhuc sacra, ad effectum ibi sepulturam construendi, proùt fecit Abraham, quià dicta rudis, & pura terræ massa est pretio æstimabilis; Sicuti si quis velit sepulturæ locum in Ecclesia eminentiorem, & distinctum, illum ex tolerata, & quotidiana consuetudine emere potest, quià tunc non dicitur fieri venditio loci consecrati, sed tantùm loci eminentioris, & dignoris, quæ major dignitas, & situs prærogativa, est pretio æstimabilis.

80 Eodem igitur modo, quo dixi per accidens, & concomitantèr vendi posse Juspatronatus, dicas etiàm illud tradi posse in emphyteusim, vel feudum, si scilicet Villa, vel Castrum, cui sit annexum, in emphiteusim, vel feudum alicui concedatur *cap. cùm sæculum hoc tit. ibique Abb. num.* 2.



CAPITULUM IIII.

Quædam aliæ quæstiones circa Juspatronatus proponuntur, & resolvuntur.

81 QUÆRES primò. Si aliquis ad præsentationem alicujus, qui putabatur Patronus, fuerit in Beneficio institutus, & alius evicerit in Judicio se esse verùm patronum; an talis in Beneficio institutus, sit removendus.

82 Respondeo negativè, per *Text. in cap. consultationibus hoc titulo*; quià præsentans habet titulum putativum patronatus, & possessionem in præsentando, adeòque in ea est manutenendus, cùm ad effectum concedendi manutentionem in Jurepatronatus semper attendatur ultimus status, & ultima præsentatio *Lotter. de re benefic. lib.* 1. *quæst.* 34. *num.* 40. *Adden. ad dec.*77.*Gregor.XV.à n.*12.*Rot.decis.*159.*n.*5.*part.*17. *&* *decis.*7. *num.*3. *part.* 19. *rec.* & novissimè *in Mediolanen. Prioratus* 11. *Decembris* 1699. *coram Reverendissimo Molines Decano §. Rursus*.

83 Quæres secundò. An Patronus possit præsentare se ipsum.

84 Respondeo negativè, per *Text. in cap. per nostras hoc tit.* quamvìs se ipsum vellet præsentare per Procuratorem, ùt docet *Paris. de resign. benefic. lib.* 9. *part.* 17. *num.* 113. tùm ad evitandam notam ambitionis, tùm quià debet esse realis distinctio intèr dantem, & accipentem, ùt enìm ait *Glos. in d. cap. verb. præsentare nemo oritur à se ipso*.

85 Excipe casum, quo Episcopus ex se Beneficium velit

velit conferre Patrono; hic enim potest acceptare hanc collationem, illique etiàm ex post facto consentire, non enim in hoc casu oritur à se ipso, sed merè assentit vocationi Superioris. Ità *Jo: Andr. in d. cap. num.* 2. *&* *Abb. num.* 3.

86 Sicuti paritèr si plures Compatroni cùm mandato procuræ speciali constituerint Procuratorem ad præsentandum, potest hic nominare unum ex Compatronis, & Patronus potest adhærere præsentationibus quoad suam personam factis ab aliis Compatronis, cùm cesset in hoc casu nota ambitionis, ob quàm quilibet se ipsum præsentare prohibetur *Bellett. disquisit. clerical. part.* 1. *tit. de bon. Clericor.* §. 11. *num.* 26. *Rota coram Merlin. decis.* 733. *num.* 5. *coram Priolo decis.* 305. *num.* 4. *coram Ubaldo decis.* 339. *num.* 4. *tom.* 1. *& in Novarien. Præpositura* 15. *Martii* 1688. §. *fin. coram bon. mem. Emerix*.

87 Dices. Pater potest præsentare filium *cap. consuluit hoc tit.* sed Pater, & Filius censetur una eademque persona *Canone contradicimus* 35. *quæstione* 3. ergo &c.

88 Respondeo Patrem non esse unam, & eamdem personam cùm filio realitèr, & phisicè, sed solùm fictione Juris; quandò igitur eos Jus pro eadem persona non habet, proùt est in casu nostro, veritas potiùs, quàm Juris fictio spectanda est *Abb. in dicto cap. consuluit num.* 3.

89 Quæres tertiò. Vertente lite super Jurepatronatus quid erit agendum?

90 Dico primò. Si constet Beneficium esse Patronatum, & lis vertat intèr Præsentatos, v. g. quis eorum sit magis idoneus, aùt intèr Patronos, & Præsentatos, aùt intèr Præsentatos, & Episcopum, si Juspatrona-

tus sit laicum debet expectari quadrimestre à die vacationis Beneficii; Si sit Ecclesiasticum, vel mixtum, semestre, sique post lapsum hujus temporis lis adhùc duret, potest Episcopus Beneficium liberè conferre, ùt evitetur diutina vacatio Ecclesiarum. Sunt *Text. in cap. quoniam, cap. eam te, cap. si verò, & cap. cum proptèr hoc tit.* Et idem dicas si post dictum tempus Patronus fuerit negligens in præsentando *cap. 2. de*
91 *suppl. neglig. Prælat.* Et ità ab Episcopo sine præsentatione institutus debebit lite terminata præsentari à Patrono, qui in judicio obtinuit ad effectum præcisè eum recognoscendi in Patronum,& si talis Patronus noluit eum præsentare nihil illi oberit, quià jam plenum jus acquisivit ex institutione Episcopi, juris authoritate facta. Ità *Glos. fin. in dicto cap. si verò, ibique Abb. num.* 4.

92 Dico secundò.Si vertat lis intèr Episcopum, & Patronum, an Beneficium sit patronatum nec ne,debet Episcopus constituere lite pendente OEconomum,seù Administratorem *Glos. in dicto cap. eam te verb. si verò contentio*; nisi tamèn constaret notoriè Beneficium non esse patronatum, vel Episcopus reperiretur in quasi possessione providendi; tunc enìm posset in Beneficio libere instituere Beneficiarium *Barbos. in cap. eam te num.* 6

93 Quæres quartò, an possit unquam Beneficia patronata conferri liberè sine consensu Patroni derogando Juripatronatus.

94 Dico primò. Hoc Summus Pontifex facere potest, sed in Jurepatronatus laico non censetur hoc voluisse facere, nisi expresserit in literis Apostolicis; tùm quià Superior Ecclesiasticus videtur plùs juris habere in bonis Ecclesiasticorum, quam Laicorum, tùm nè

Laici

Laici retrahantur ab hujuſmodi piis fundationibus, *Gloſ. in Clem. 2. de præb. verb. Apoſtolicis, Abb. in cap. cum dilectus num. 11. in fin. hoc tit. Covarr. pract. quæſt. cap. 36. num. 1. Pax Jordan. elucubrat. tom. 2. lib. 10. tit. 7. num. 282. & ſeqq.*

95 Dico ſecundò. Legatus à Latere poteſt derogare Juſpatronatus Eccleſiaſtico, non autèm laico *Text. eſt apertus in dicto cap. cum dilectus*. Quod ſi quæras an poſſit derogare Juripatronatus mixto.

96 Reſpondeo, quod ſi Juſpatronatus mixtum cenſendum potiùs ſit totum laicale, quàm Eccleſiaſticum, ei derogare nequeat, ſecùs autèm in caſu oppoſito.
97 Ad hoc autèm dignoſcendum debet inſpici, quæ qualitas ſit favorabilior Juripatronatus, de quo quæritur, & juxtà eam eſt judicandum; v. g. ſi tres ſint Compatroni, unus Clericus, & duo Laici, & quæratur de tempore requiſito ad præſentandum, debebit Juſpatronatus cenſeri totum Eccleſiaſticum, adhoc ùt omnes Compatroni habeant ſpatium ſemeſtris ad præſentandum, quià tùnc eſt favorabilior conditio Juriſpatronatus Eccleſiaſtici, quàm laicalis. Si verò ſint tres Compatroni, unus laicus, & duo, vel tres Clerici, & agatur de derogando Juripatronatus, debebit Juſpatronatus cenſeri totum laicale, quià hæc qualitas eſt magis ipſi favorabilis ad effectum evitandæ derogationis. Ità *Fagnan. in cap. cum proptèr n. 26. & ſeqq. hoc tit.*

98 Nec obſtat magìs dignum trahere ad ſe minùs dignum; hoc enìm militat quando favorabiliùs eſt; ùt
99 dignius trahat ad ſe minùs dignum, ſecùs ſi favorabiliùs ſit, ùt trahatur à minùs digno, proùt eſt in caſu noſtro. Ità *Fagnan. loc. cit. num. 66. Rot. deciſ. 250. per tot. part. 14. & deciſ. 36. paritèr per tot. part. 13. rec.*

Quæ-

100 Quæres postremò quomodò amittatur Iuspatrona-
tus.

101 Dico primò. Amittitur per liberam cessionem, &
renunciationem illius factam à Patrono *cap.* 1. *in*
102 *princ.hoc tit.in 6.* Qui potest etiàm remittere pro libi-
to conditiones appositas in fundatione Juspatronatus
103 respicientes solam utilitatem Patroni; quinimò hæres
illius potest apponere cùm consensu Episcopi novas
104 conditiones utiles Ecclesiæ; non potest autèm ullate-
nùs in totum tollere illas, quæ spectant ad Divinum
cultum, vel honorem familiæ, quià non potest mu-
tare voluntatem defuncti *Clem.2.in princ. de Relig. do-
mibus,ibique Glos. & Trid. sess. 25. cap. 3. de reform.*

105 Dico secundò. Amittitur Juspatronatus, si Ecclesia
patronata uniatur alteri liberæ sine reservatione Ju-
rispatronatus, quià Ecclesia unita censetur extincta
*Zabarell. cons. 96. num. 3. Lotter. de re benefic. lib. 1.
quæst. 28. n. 168. Rot. decis. 222. n.2. in fin.part.2. rec.*

106 Dico tertiò. Amittitur per non usum longi tempo-
ris, scilicèt quadraginta annorum *cap. cum de benefi-
cio, ibique DD. de præbend. in sexto, Felin. in cap. in
nostra num. 43. de rescript. Lotter. de re benefic. lib. 2.
quæst. 14. num. 39. Adden. ad san. mem. Gregor. XV.*
107 *decis.*494. *num.*20.dummodò tamèn præter non usum
Patronorum concurrant actus positivi contrarii facti
ab Episcopo cùm scientia patronatus, & voluntate
ei præjudicandi *Germin. in dicto cap. cum de beneficio
num.9. Lambertin. de jurepatron.lib.2. part.1. quæst.3.
art.15. num.3. Rot. post Vivian. de jurepatron. decis.30.
num. 7. Rot. part.2. divers. decis.109. num.8. & 9. cor.
Duran. decis. 74. num. 59. & decis. 53. num. 57. part.
5. recent.*

108 Dico quartò. Amittitur, si Ecclesia Patronata pe-
nitùs

nitùs ruat, vel indotata remaneat, nec redotetur, vel reædificetur; quià non entis nullæ sunt qualitates.

109 Dico quintò. Amittitur ob delicta Patroni, quorum primum est, si Rectorem, vel alium Clericum Ecclesiæ patronatæ per se, vel per alium occiderit, vel

110 mutilaverit *cap. penult. §. Sacri de pœnis.* Secundùm si fiat hæreticus, vel fautor hæreticorum, schismaticus, aut apostata *Barbos. lib. 3. jur. Eccles. cap. 13. num. 260.* Tertium verò si simoniacè Juspatronatus acquisiverit, ùt colligitur *ex cap. quià Clerici hoc titulo*.

TITULUS XIII.

De Renunciatione Beneficiorum.

1 RENUNCIATIO, seù resignatio proùt hic, strictè accepta, est = *Dimissio spontanea, & libera Beneficii obtenti facta cùm causa coram legitimo Superiore eam acceptante*.

2 Dicitur *cùm causa*, nam coram Ordinariis locorum non nisi causa justa accedente possunt fieri renunciationes, puta quià Beneficiatus senex sit, infirmus, censura Ecclesiastica irretitus &c. quę Causæ enumerantur in Constitutione *B. Pii V.* incipien. *Quanta Ecclesiæ* inter suas 58.

3 Est autèm alia pura, & simplex, alia conditionalis. Pura est, cùm quis simpliciter Beneficium regnat in manibus Superioris, ùt illud possit liberè conferre cui voluerit. Conditionalis autèm est, quæ fit sub certa

condi-

conditione, & modo; quod tribus modis evenire potest.
4 Primò in favorem certæ personæ, cùm scilicèt quis dimittit Beneficium cùm conditione, ùt Titio v.g.
5 conferatur. Secundò, cùm quis super Beneficio resignato reservat sibi, vel fructus integros, vel in parte,
6 puta pensionem annuam. Tertiò, cùm dimittitur Beneficium cum regressu ad illud, in casu quo resignatarius præmoriatur resignanti: Vel cùm ingressu, ùt si quis Beneficium sibi collatum resignet antequam capiat ejus possessionem cùm conditione, ùt mortuo resignatario possit propria authoritate apprehendere possessionem illius. Ità *Rebuffus in praxi Benefic. tit. de regressibus*.

7 Differt autèm primò renunciatio simplex à quomodocumque conditionali, quod illa possit fieri in manibus cujuscumque Superioris Ecclesiastici, qui potest conferre Beneficium resignandum, adeòque etiam Episcopi, nisi obstet qualitas Beneficii resignandi; Conditionalis autèm non nisi in manibus Romani Pontificis *Garz. part.* 11. *de Benefic. cap.* 3. *num.*154. *& Paris. lib.6. de resign. Benefic. quæst.*1.*num.*3. *quæst.*2. *num.*1. *&* 2. *quæst.* 5. *num.*96. *& seqq.* ibique ex stylo inveterato Curiæ Romanæ, & ad evitandum periculum, ne resignationes, & collationes Beneficiorum acquirant speciem successionis hæreditariæ, cum affectus carnis impellere soleat ad resignandum amicis, vel consanguineis.

8 Quod est adeò verum, ùt Prælatus Papa inferior nequeat admittere resignationem conditionalem rejecta conditione, & Beneficium ità resignatum liberè conferre: juxtà *Garz. loco cit. nu.*155. quià actus factus sub aliqua conditione adiecta nequit partim reiici, & partim admitti, sed vel totus adimpleri debet, vel totus

totus reiici, aliàs actus indivisibilis videretur,& mutaretur, contrà theoricam *Text. in l. Aurelius §. Idem, ibique Bartol. ff. de liberat. legat.*

9 Differt secundò renunciatio conditionalis à pura, quod per primam non adimatur à resignante jus, & possessio Beneficii, nisi postquam fuerit purificata, & adimpleta conditio sub qua resignavit; secùs autèm per secundam *Paris. de resignat. benefic. lib. 1. quæst. 3. num. 7. & 8. & quæst. 7. num. 9. & seqq. Gratian. discept. 814. per tot. tom. 5. Rot. cor. Merlin. decis. 214. per tot. & decis. 322. num. 3. & seqq. part. 11. recent.* & ratio est, quià conditio adjecta actui, ità suspendit actum, ùt non nisi ea purificata, actus sortiri possit effectum; ea autèm deficiente, nullum effectum habeat *l. cedere diem ff. de verb. & rer. signif. & l. sub conditione ff. de condict. indeb.*

10 Jàm verò ad legitimam Beneficii renunciationem requiritur primò, quod resignans, vel sanus interim, vel æger fuerit, non moriatur intra viginti dies à die consensus resignationi præstiti, aliàs enim Beneficium non vacabit per resignationem, sed per obitum, & erit liberæ collationis, juxtà *reg.* 18. Cancellariæ desumptam ex *Can. plerique 8. quæst. 1. Lotter. de re benefic. lib. 3. quæst. 15. num. 68. Vivian. de Jurepatr. lib. 13. cap. 10. num. 86. Rota coram Cerro decis. 11. num. 10. & decis. 253. num. 13. part. 9. rec.* Hæcque

11 regula habet locum tàm in resignationibus factis in Curia, quam extrà in manibus Ordinarii, juxtà veriorem, & communem Rotæ sententiam coram *Cerro dicta decisione num. 7. & 8. & decis. 184. num. 24. part. 10. recent.* nec ultimum diem cæptum in hac materia haberi pro completo, latè discusso articulo firmavit *Rota decis. 75. num. 16. & seqq. parte 2. divers.*

 Requi-

12 Requiritur secundò, quod renunciatio fiat coram Superiore Ecclesiastico. Qualis primò est Legatus à Latere, qui cùm Beneficia possit conferre, potest etiam admittere resignationes illorum *cap.* 1. *de offic.*
13 *Leg. in* 6. Secundò, Episcopus, qui quoad Beneficia suæ Diœcesis habet in Jure communi intentionem fundatam *Can.* 2. *& seqq.* 10. *quæst.* 1. *& cap. ex fre-*
14 *quentibus de institut.* Tertiò, Sede vacante potest admittere resignationes Capitulum Cathedrale, vel Collegiatæ insignis, quià succedit in jurisdictione Episcopali *cap. cùm olim de majorit. & obed. ibique Abb. nu.* 2.
15 Excipiuntur tamèn primò, Beneficia exempta à Jurisdictione Episcopi. Secundò, reservata Summo Pontifici, ùt Cardinalatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, & Episcopatus *cap.* 1. *&* 2. *de translat. Episc.* Tertiò, Beneficia majora post Pontificales Dignitates in Patriarchalibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesiis, nec non principalia in Ecclesiis Collegiatis, horum enim resignationes Summo Pontifici sunt reservatæ per *reg. tertiam Cancellariæ*, ùt ostendam fusiùs *sub titulo de reservationibus Beneficiorum*.
16 Requiritur tertiò ad validitatem resignationis, ùt fiat liberè, & vi, dolo, metuque remotis; aliàs, vel irrita est ipso Jure, vel rescindenda per sententiam Judicis *cap.* 2. 3. *&* 4. *de his, quæ vi metusve causa fiunt Rota decis.* 132. *&* 341. *per tot. part.* 10. *& dec.* 172. *& decis.* 212. *per tot. part.* 16. *recent.* si verò Simonia intercesserit, erit irrita ipso Jure *Extrav.* 2. §. *Per electiones de Simon. & Rebuff. in prax. tit. de Simonia in resignatione num.* 7. *& seqq.*
17 Requiritur quartò, quod fiat verbis expressis; aliàs enim resignatio non præsumitur, cùm stricti Juris sit *Paris. de resignat. Benef. lib.* 8. *quæst.* 1. *num.* 9. 19. *&* 20.

Quin-

18 Quintò. Requiritur ex ſtylo Curiæ, quod fiat in ſcriptis *Pariſ. loc. cit. quæſt.* 2. *num.* 1. *&* 2.

19 Sextò. Si fiat coram Sede Apoſtolica, requiritur ùt præſtetur conſenſus in Cancellaria, vel Camera Apoſtolica, aùt perſonalitèr per ipſos reſignantes, aùt per eorum procuratores, aliàs non expediuntur literæ, nec prodeſt reſignanti reſignatio *Pariſ. loc. cit. quæſt.* 8.

20 Ultimò. Requiritur, quod reſignationes quorumcumque Beneficiorum factæ à quibuſcumque perſonis, cujuſcumque ſtatus, & conditionis, publicentur per ipſos reſignatarios ſi Beneficium ſit Parochiale, in Eccleſia Beneficii, & in Cathedrali; ſi autèm tale non ſit, in Eccleſia Parochiali; intrà cujus limites Beneficium exiſtit, & in Cathedrali, in diebus Feſtis, & intèr Miſſarum ſolemnia; ùt ex *Bulla Gregorii XIII.* incipien. *Humano vix judicio* intèr ſuas 85. idque ad evitandas fraudes, & ne reſignans occulta adhuc reſignatione, poſſit denuò, ſe intrudere in poſſeſſionem Beneficii reſignati. Conſule *Pariſ. lib.* 11. *in præfat.*

21 Excipe tantùm Beneficia Conſiſtorialia, quæ ſcilicet in Conſiſtorio conferuntur, qualia ſunt Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus, in quibus ceſſat periculum fraudis, cum conferantur præſente Pontifice *Pariſ. loc. cit. quæſt.* 3. *num.* 24.

22 Alia autèm Beneficia non Conſiſtorialia, ſi reſignata fuerint in Curia, & citrà Montes, debent publicari reſignationes intrà ſex menſes computandos à die ſupplicationis datæ, & reſignatæ non verò à die præſtiti conſenſus; ſi verò Beneficia extent ultrà Montes, intrà novem menſes, ex dicta Bulla Gregorii. Sin autèm Beneficia fuerint reſignata extrà Curiam coram quocumque Prælato inferiore Summo Pontifice,

etiàm Legato à Latere, debent ab illo resignationes admitti, vel reiici intrà mensem, & à provisis publicari intrà tres menses,& intrà eosdem debent capere possessionem Beneficiorum; sicque hoc non prestiterint, vacat ipso jure Beneficium, imò si intrà mensem Ordinarius,neque admiserit, neque rejecerit resignationem, privatur pro ea vice jure Beneficium conferendi, ejusque collatio devoluitur ad Sedem Apostolicam. Ità *Parif. loc. cit. quæst.* 2. *num.* 3. *& seqq.* & late ad materiam *Rot. decis.*14. *num.*13. *& decis.*85. *num.* 6. *& seqq. part.* 10. *& decis.* 322. *part.* 11. *rec. num.* 14. *& seqq.* ac novissimè in *Sypontina Canonicatus* 28. *Januarii* 1701. §. *Stabilito, & seqq. coram*
23 *R. P. D. Lancetta*,ubi §.*Et tamèn* addit hanc publicationem faciendam esse ante obitum resignantis.

TITULUS XIV.

De permutatione Beneficiorum.

1 EN ultimus modus acquirendi Beneficia Ecclesiastica, affinis maximè modo superius relato,
2 scilicet *Permutatio*,hoc est *mutua, & reciproca duorum Beneficiorum resignatio*,puta, si Titius renunciet Beneficio suo, ùt illud conferatur Cajo, suoque Cajus, ùt illud vicissim conferatur Titio

3 Requiritur autèm primò ad validitatem permutationis,quod permutans habeat jus in re in Beneficio, estò illius possessionem adhuc natus non fuerit, juxtà *Garz. part.* 11. *de benefic. cap.* 4. *num.* 15. Secundò, quod

4 quod uterque Beneficiis renunciet in manibus Supe-
rioris, seù Ordinarii, cui Beneficium est subjectum;
5 *cap. unic. de rer. permut. in sexto*. Tertiò, quod ad-
missa utrimque Beneficiorum renunciatione, Benefi-
cia verè à Superiore conferantur *Garz. loc. cit. cap.* 4.
6 *num.* 85. Quartò, quod si Beneficium sit electivum,
vel patronatum requiratur consensus eorum, qui ha-
bent jus eligendi, vel præsentandi ad illud *Glos. in cit.
cap. unico verbo collationem*, *& Clemen. unica ver-
bo conferantur tit. eodem*, *Lambert. de Jurepatr. part.*
2. *lib.* 2. *art.* 6. *quæst.* 6. *n.* 6. *& seqq.* *Lap. allegat.* 96.
quià in actibus, qui aliis possunt esse præjudiciales
semper requiritur consensus eorum, quorum interest;
si illi tamèn absque justa causa consentire recusent,
& permutatio sit necessaria, vel utilis Ecclesiæ, nihi-
lominus poterit Episcopus permutationem approba-
re *Abb. in cap. quæsitum num.* 9. *de rer. permutat.*

7 Rogabis autèm primò. An si unus ex permutanti-
bus Beneficium nolit, vel nequeat resignare, ille
qui resignavit, possit suum Beneficium repetere.

8 Respondeo affirmativè, per *Text. in cap. cum uni-
versorum tit. dicto*, quià ille qui resignavit, non re-
signavit simplicitèr, sed sub conditione, ùt etiàm alius
Beneficium resignet; ergò conditione non servata
potest priùs Beneficium repetere, per conditionem
causa data causa non secuta.

9 Rogabis secundò. Coram quibus Superioribus fie-
ri possit permutatio Beneficiorum.

10 Respondeo coram Episcopo, vel aliis per consuetu-
dinem legitimè præscriptam, vel alio jure speciali ha-
bentibus jus conferendi Beneficia *cap. quæsitum tit.
dicto, & Garz. d. cap.* 4. *n.* 72. Quarè Vicarius genera-
ralis Episcopi absque ejus speciali mandato id facere

nequit

quit *Garz. loc. cit. num.* 74. neque Capitulum Cathedrale Sede Episcopali vacante, quià nequit Beneficia conferre, ille autèm, qui nequit conferre, nequit permutationes admittere. Ità *Garz. loc. cit. n.* 80.

11 Rogabis tertiò. Quænam Beneficia permutari possint.

12 Respondeo. Omnia Beneficia, etiamsi unum sit curatum, aliud non, unum pingue, aliud macilentum, quià in permutatione transfertur solùm spiritualis titulus Beneficii non attenta Dignitate rei annexa, vel redditibus illius. Ità *Garz. loc. cit. num.* 11.

13 Limita primò. In Beneficiis unitis, quæ permutari nequeunt, cùm per unionem extinctus sit titulus, ac nomen illorum *Garz. loc. cit. num.* 3.

14 Limita secundò. In Beneficiis Sedi Apostolicæ reservatis, quorum permutatio fieri nequit coram Episcopo, qui nequit illa conferre.

15 Limita tertiò. In Beneficio litigioso, quià res litigiosa pendente lite nequit alienari, & propriè non est sua, ac propria litigantis.

TITULUS XV.

De unione, & dismembratione Beneficiorum.

1 INspectis modis, quibus Beneficia obtinentur, reliqui actus, qui circa illa juridicè, & Canonicè exerceri possunt inspiciendi sunt, ùt sic necessariam adeò, & perutilem Beneficiorum notionem adequatè assequaris.

Unio

2 Unio igitur, quæ circà illa fieri solet, est *duorum, vel plurium Beneficiorum, aut Ecclesiarum à legitimo Superiore facta annexio.*

3 Alia autèm est unio perpetua, quæ perpetuò durat, alia temporalis, quę merè fit contemplatione persóną, & in utilitatem tantùm illius, ad cujus vitam unicè durat *Rebuff. in prax. tit. de union. Beneficior. num.9.*

4 In perpetuum autèm diceretur facta, non solùm quando id apertè exprimeretur, sed etiàm si diceretur *ad perpetuam rei memoriam*, vel, *ad beneplacitum Sedis Apostolicæ*, quæ non moritur *cap. 1. ne Sede vacante &c. & cap. si gratiosè de rescript.*

5 Tribus autèm modis fieri potest unio Beneficiorum. Primò. Si ex duobus Beneficiis fiat unum, puta ex duabus Parochiis, quarum redditus tenues sint, una constituatur; quo casu privilegia competentia uni Ecclesiæ, vel Beneficio, etiam alteri competunt, & si contraria sint, meliora, ac favorabiliora servari debent *Garz. par.12. de Benef. cap.2. nu.10. & seqq.*

6 Secundus modus est, si unum Beneficium merè subiiciatur alteri, ùt Superiori, & tanquam accessorium principali; & tùnc in Ecclesia inferiore unita debet merè constitui Vicarius, qui obeat ibi officium spi-
7 rituale *cap. extirpandæ §. Qui verò de præbend.* Effectusque hujus unionis est, ùt Beneficium alteri unitum quasi extinguatur, nec per se Beneficium censeatur, quià assumit naturam, ac privilegia Beneficii principalis *Glos. in Can. & temporis v. unire 16. quæst. 1. ac*
8 *Rebuff. loco cit.* Adeoque non potest per se permutari, nec resignari, & in impetratione Beneficii sufficit, quod fiat mentio solius principalis; quià facta collatione, & adepta possessione principalis, intelligitur collatum, & adepta possessio etiam accessorii *Garz. loco citat. num.20. & duobus seqq.* Ter-

9 Tertius modus uniendi est, si ex duobus Beneficiis unum alteri non subiiciatur, sed utrumque sua privilegia retineat, & per se consistat cùm suis redditibus, & solùm uniantur equè principalitèr, per hoc, quod unus Rector, vel Episcopus in utroque constituatur, & intituletur *Garz. loco cit. num.* 37.

10 Possunt autèm uniri Beneficia omnia primò à Papa, qui in Beneficialibus illimitatam habet potestatem; non cesetur tamèn per unionem voluisse derogare juribus Episcopi visitandi Ecclesiam unitam, corrigendi, ea quæ ad illam pertinent &c. *cap.2. de Relig. domib.* & monuit *Tridentinum sess. 7. cap.7. de reform.* Ratio est, quià nunquàm Papa præsumitur derogare juri alieno *Gloss. fin. dicto cap.*

11 Secundò. Potest Episcopus in sua Diœcesi quælibet Beneficia unire *cap. sicut de excess. Prælat.* nisi tamèn sint specialitèr, & perpetuò reservata provisioni Sedis Apostolicæ, vel nisi unio sit temporalis, quæ non potest ab ipso fieri, utporè odiosa, quippe contra, vel saltèm, prætèr formam juris, & per quàm non Ecclesiis, sed personis providetur *Rebuff. loc. cit. à nu.22. Pax Jordan. elucubr. tom.2. lib.10. tit.32. nu.49.*

12 Tertiò. Sede vacante unire potest Beneficia Capitulum Cathedrale, quià tunc jurisdictio Episcopi ad ipsum devoluitur *Rebuff. loc. cit. num.* 36.

13 Sed dices. Capitulum non potest conferre Beneficia; ergo neque unire.

14 Respondeo primò, aliam esse potestatem conferendi, aliam uniendi, nam Beneficium non vacans conferri nequit, & tamèn potest uniri, per *Clem.2. de Rebus. Eccles. non alienan.*

15 Respondeo secundò collationem esse voluntatis, & liberalitatis; unionem necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ, ùt infrà patebit.

Quar-

16 Quartò . Legati à Latere possunt unire Beneficia Provinciæ, quæ possunt conferre *Abb. in cap. sicut numer.* 5. *de excess. Prælat.* & *Rebuff loco cit. num.* 24.

17 Prælati autem Episcopo inferiores etiàm habentes potestatem conferendi Beneficia, non possunt ea unire, nisi ex speciali privilegio, vel præscriptione quadragenaria cùm titulo, aut immemoriali sine titulo, vel nisi habeant jurisdictionem quasi Episcopalem *Rebuff. loc. cit. num.* 32. & *seqq.*

18 Nequeunt autèm uniri Beneficia, vel Ecclesię, nisi ob evidentem Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem *Text. est in cap. exposuisti de præbend.* &c. puta quià tenues adeò sint redditus, ut idonei Ecclesiæ Ministri difficilè reperiantur *Can. unio* 10. *quæst.* 3. & *Clem.* 1. §. *Ad hæc de Stat. Monach.* aut Ecclesia fuerit ab hostibus devastata *cap.* 2. *de Relig. domibus*, vel in ea non servetur disciplina regularis, & Ecclesiastica.

19 Plura autèm decrevit Tridentinum circà unionem Beneficiorum; & Primò *sess.* 7. *cap.* 6. *de reform.* quòd uniones factæ post 40. Annos (computandos à die, quo Concilium fuit Apostolica authoritate confirmatum, juxtà *Sanch. lib.* 7. *Moral. cap.* 29. *num.* 178.) si effectum adhùc sortitæ non fuerint, tanquam subreptitiæ, & nullæ censeri debeant, nisi contrarium apertis documentis ostendatur.

20 Secundò *Sess.* 14. *cap.* 9. *de reform.* vetuit ne Beneficia unius Diœcesis possint uniri perpetuò cùm Beneficiis alterius Diœcesis.

21 Tertiò *Sess.* 21. *cap.* 15. *de reform.* statuit, quod Episcopi ob paupertatem Ecclesiarum Parochialium possint illis quælibet Beneficia unire; sinè tamèn præjudicio obtinentium, etiamsi illa essent specialitèr re-
22 servata Papæ, aùt quomodocumque affecta. Idem-

que diposuit *Sess.* 23. *cap.* 18. *de reform.* de Episcopis aliqua Beneficia simplicia volentibus unire, incor-
23 porare Collegio, seù Seminario alicui; Ex pluribus tamèn declarationibus Sacr. Congregationis Concilii relatis *à Garz. loco cit. num.*102. *&* 106. *& à Barbos. lib.*1. *jur. Eccles. cap.* 16. *num.* 30. Episcopi ex vi dicti decreti nequeunt Seminariis unire. Primò, Beneficia residentiam postulantia, ne divinis cultus minuatur. Secundò, Beneficia simplicia spectantia ad Inferiorum collationem. Tertiò, reservata Sedi Apostolicæ post vacationem illorum; Et quartò, neque affecta antè vacationem, si tempore unionis erant affecta Sedi Apostolicæ, ùt quià erant Subcollectorum, Familiarium Pontificis, vel Officialium Curiæ, & Ultimò patronata.

24 Quartò *Sess.*24. *cap.*13. *de reform.* prohibuit ne Ecclesię Parochiales quibuscumque aliis Beneficiis, etiàm simplicibus, uniri queant.

25 Quintò *Sess.* 24. *cap.* 15. *de reform.* vetuit ne Beneficia regularia simplicia possint uniri Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis insignibus, etiam pauperibus.

26 Ultimò *Sess.*25. *cap.*9. §. *Insuper de reform.* Ne quæcumquæ Beneficia libera cùm Parochialibus, vel Beneficiis patronatis uniri possint, & factæ à 40. annis citrà, si effectum non fuerint sortitæ, subreptitiæ censeantur, sin autèm sortitæ fuerint examinari debeant ab Ordinariis locorum tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis, & proùt cognitio Causæ exiget, ab iis confirmari, vel infirmari.

27 Deveniendo jàm ad secundam tituli parte, nempè ad dismembrationem Beneficiorum, adverte, plurimum intercedere inter diminutionem, seù dismembrationem Beneficiorum, & divisionem, vel sectionem eorumdem.

Bene-

28 Beneficium enim dismembrari dicitur tunc, quando unitas Beneficii non tollitur, sed pars bonorum, vel fructuum Beneficii aufertur, & alteri applicatur, puta si Episcopus partem fructuum Parochiæ abundantis applicaret fabricæ Ecclesiæ *Garz. part. 12. de benef.*
29 *cap. 3. num. 1. & 2.* tunc enim si id facere velit ex justa causa, & ex officio, idest Rectore Beneficii id non petente, & Beneficium sit plenum, requiritur consensus Capituli Cathedralis, juxtà *Garz. loc. cit. num. 11.* quià hæc dismembratio est quædam species alienationis rei Ecclesiasticæ, ad quam ritè peragendam Capituli consensus requiritur, per *Text. in cap. 1. de reb.*
30 *Eccles. non alien. in sexto*. Imò requiritur consensus
31 etiàm Beneficiati, tanquam ejus, cujus interest; Si verò Beneficium vacet, illi curator, seu defensor assignandus est ab Episcopo *Garz. loc. cit. num. 3. & Rot. Romana in novis decis. 1. alias 229. de reb. Eccles. non alien.*

32 Divisio autèm, vel sectio Beneficiorum fit, quando ex uno Beneficio fiunt duo, vel plura; puta ex uno Canonicatu, duo Canonicatus; Jus enim Canoniæ, sive spiritualis officii præstandi est indivisibile *cap. eum dilecto, ibique Glos. in verb. dividi de præbend.* Adeòque solùm potest dividi Beneficium quoad temporalitatem annexam, & quatenùs est jus percipiendi redditus
33 temporales. Hæc autèm divisio Beneficiorum est prohibita in *Concilio Turonensi* relato in *cap. majoribus tit. dicto*, quià per illam alteratur, seu mutatur status Ecclesiæ, vel Beneficii.

34 Cœterum potest fieri, ab Episcopo si hæc tria concurrant; Et primò quidèm si justa causa necessitatis, vel utilitatis interveniat; puta defectus Canonicorum, vel augumentum Divini cultus *cap. vacante tit. dicto*.

35 Secundò, Si adſit conſenſus Capituli Cathedralis; *dicto cap. vacante*, quià hæc diviſio, eſt quædam ſpecies alienationis rerum Eccleſiaſticarum.

36 Et tertiò. Si redditus Beneficii, quod in duo dividitur ſint ſufficientes ad congruam ſubſtentationem
37 utriuſque Beneficiati *dicto cap. vacante in fin.* Alias Epiſcopus debet reintegrare præbendam diviſam ex portionibus detrahendis ab aliis Beneficiis poſteà vacaturis, vel ſi hoc facere nequeat, & illegitimè præbendam diviſerit, debebit Beneficiatis providere ex redditibus menſæ ſuæ *Gloſ. in dicto cap. majoribus verbo integrare, & Joan. Andr. in dicto cap. vacante*
38 *num. 2. ac ibidem Abb. num. 3.* Sufficit autèm præbendas diviſas eſſe ſufficientes ad alendos Beneficiatos, quamvis intèr ſe ſint in redditibus inæquales, juxtà *Abb. ibidem num. 2. not. 4.*

TITULUS XVI.

De pluralitate Beneficiorum.

1 QUILIBET prohibetur à jure plura Beneficia retinere etiàm ſimplicia, quando unum ex illis ſufficit ad congruam vitæ ſubſtentationem *Can. 1. & 2. 21. quæſt. 1. Can. 1. 13. quæſt. 1. cap. cùm adeo, & cap. poſtulaſti de reſcript. & Gloſ. in cap. dudum verb. retinere de elect.* Primò, quià valet arguere à matrimonio carnali ad ſpirituale *cap. 2. de tranſlat. Epiſcop.* Sicut igitùr nemo poteſt eſſe Vir duarum Uxorum, ità nec Rector duarum Eccleſiarum. Secundò.

cundò. Quià nequit quis pluribus Ecclesiis, ùt par est, servire, cùm vix unum officium dignè implere valeat *cap. 3. de Cleric. non residen.* Tertiò. Quià neque de Jure Civili potest quis adscribi duabus militiis *l. 1. §. Imposterum C. qui milit. non poss. lib. 12.*

2 Nunc autèm temporis incompatibilia, primò sunt in eodem subjecto duo Beneficia personalem residentiam requirentia, ùt duæ Parochiæ, duæ Dignitates, duo Personatus, vel in una, vel duabus Ecclesiis *cap. de multa, & cap. ad hæc de præb.*

3 Secundò. Duo Beneficia uniformia etiàm simplicia idem onus, & officium exigentia sub eodem tecto, idest sub eadem Ecclesia, quamvìs sint simplicia, ùt duo Canonicatus ejusdem Ecclesiæ. Ratio est, quià aliàs minueretur numerus Canonicorum, adeòque cultus Divinus; per *Text. in dicto cap. de multa §. Hoc idem, Clem. ult. titulo eodem, & cap. literas de concess. præb.*

4 Quòd si aliquis dicta Beneficia incompatibilia retinere præsumpserit, per eorum pacificam possessionem adeptam omnibus ipso Jure privatur *Tridentinum Sess. 7. cap. 4. de reform.*

5 Limitatur tamèn hæc assertio in casu, quo adsit dispensatio Pontificis super retentione Beneficiorum incompatibilium, qui solus potest dispensare, ùt quis plura Beneficia incompatibilia retinere possit *Glos. in cap. dudum verb. per Sedem de elect. & in dicto cap. de multa, verb. per Sedem. Garz. par. 11. de Benefic. cap. 5.*

6 *num. 337.* Episcopus autèm ex dispositione Tridentini *Sess. 24. cap. 17. de reform.* Clerico habenti Beneficium simplex sufficiens ad vitę substentationem potest aliud tantùm simplex conferre, & sic non potest dispensare, nisi ùt duo Beneficia simplicia retineat; ùt à Sac. Congre-

gregatione Concilii decisum refert *Gallemartius ad*
7 *dictum cap.* 17. *Tridentini num.* 3. Et hoc idem quòd potest facere Episcopus, potest circa eadem Beneficia facere Legatus à Latere in sua Provincia.

TITULUS XVII.

De Reservatione Beneficiorum.

1 RESERVATIO Beneficiorum est *Avocatio illorum vacaturorum ad se facta per habentem ad id potestatem*. Vigore cujus Summus Pontifex ità ad se avocat Beneficii alicujus collationem, ùt ab inferiore collatore conferri nequeat, sique conferatur, collatio sit invalida, itaùt nec titulum coloratum concedat Beneficiato, qui si illo spolietur non potest agere de spolio, quià hujusmodi reservationibus solet Papa semper apponere decretum irritans, quòd non modò titulum vitiat, sed etiàm possessionem *per Textum in cap. si Beneficia de præben. in sexto, & Chokier in Regula* 1. *Cancellaria num.* 15. *& pluribus sequentibus*.

2 Possunt autèm legitimè Beneficia reservari à Pontifice; tùm quià potestas conferendi Beneficia vacantia originalitèr descendit ab ipso; juxtà *Can.* 1. *dist.* 22. tùm ùt adsit major communicatio aliarum Ecclesiarum cùm Romana omnium matre, dum non solùm in spiritualibus, sed etiam in redditibus temporalibus Beneficiorum ab ea dependent, & influxum accipiunt *Chokier. in Reg.* 8. *Canc. num.* 9.

Aliud

3 Aliud tamèn est Beneficium aliquod esse affectum, aliud esse reservatum: Reservatio enim fit per actum verbis expressum, quo declarat Pontifex Beneficia suę dispositioni reservata; affectio autèm fit per ipsum factum, ex quo tacita reservatio oritur, per hoc pręcisè, quod Papa apponat manus super aliquo Beneficio; *Chokier. in reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 19. *Barb. lib.* 5. *jur. Eccles. cap.* 13. *nu.* 43. *latè Paul. de Rub. in annot. ad decis.* 254. *part.* 6. *rec. art.* 1. *n.* 1. *& seq. & Rot. cor. Merlin. tom.* 2. *decis.* 768. *num.* 1. puta si Papa invalidè Beneficium contulerit alicui ob canonicum impedimentum Clerici, vel subreptitiam impetrationem, tale Beneficium quamvis nullitèr collatum, dicitur affectum, itaùt prò illa vice non nisi à Papa conferri possit; & hoc interest intèr reservationem, & affectionem, quòd reservatio tollit perpetuò inferiori Collatori potestatem conferendi Beneficia; affectio autèm non tollit perpetuò, sed pro illa vicè tantùm, & cùm primò vacabit, juxtà *Azor. part.* 2. *Institut. Moral. lib.* 6. *cap.* 36. *quæst.* 5.

4 Ex hujusmodi autèm reservationibus aliquæ continentur in corpore Juris Canonici communis, aliæ ex-

5 trà illud. Reservatio existens in communi Jure Canonico habetur circà omnia Beneficia, etiàm electiva, vacantia in Curia Romana, vel apud Sedem Apostolicam, quæ Sedi Apostolicæ fuerunt reservata à *Clemente Tertio*, seù ùt alii volunt *Quarto*, *in cap. licèt de præbend. in sexto*, quæque reservatio fuit durante tantùm suo Pontificatu approbata à *Clemen. V. in Extravagan. Et si d. tit.* & in perpetuum *à Bonifacio Octavo in Extavagan. Piæ tit. eodem*, *& à Benedicto*

6 *Duodecimo in Extravagan. ad regimen eodem tit.* Et hæc reservatio ampliata fuit primò à *Bonifacio VIII. in cap.*

præ-

præsenti dicto titulo in sexto etiàm quod Beneficia vacantia in locis Curiæ vicinis, quià vicinia quodammodò censetur pertinere ad Civitatem. Locus autèm
7 vicinus ille dicitur, qui non distat ab Urbe ultrà duas diætas legales *d. cap. præsenti §. Loca verò*. Quare cùm diæta legalis constet viginti milliaribus, quorum unumquodque mille passibus constare debet; per *Text. in l. 1. ff. si quis cautionibus &c. in l. mille passus ff. verb. & rer. signific. & Glos. in d. cap. præsenti verb. legales*, ille dicetur locus vicinus, qui non distabit ab Urbe ultrà quadraginta milliaria Italica.
8 Ampliatur secundò, etiàm in casu quo Pontifex, non animo permanendi, sed transeuntèr, vel recreationis causa moretur in alio loco ab Urbe distante, relictis in Urbe Tribunalibus omnibus, & præcipuè Cancellaria, ac Officialibus suis, quos abhibet primariò ad regimen Ecclesiæ; in hoc enìm casu erunt ipsi reservata tùm Beneficia vacantia in loco ubi morabitur, tùm vacantia in Urbe, quià tunc locus ubi est Papa constituit unam, eamdemque Curiam cùm Urbe, in qua remanserunt Tribunalia, & Pontificis Officiales; Curia enìm ibi est in capite, hic in Corpore. Ità declavit *Paulus tertius in sua Constitutione 36*.
9 Jàm verò allata, & hactenùs ampliata conclusio, limitatur primò non procedere in Beneficiis vacantibus in Curia, quæ sint de Jurepatronatus Laicorum; cùm enìm Pontifex in nostro *cap. licet* de illis non loquatur, præsumitur noluisse derogare juri Laicorum, ne illos retraheret à fundandis, vel dotandis Ecclesiis. Ità *Glos. in dict. cap. verb. Collatio Garz. parte 1. num. 571. & Covar. pract. quæst. cap. 36. num. 2. & Pax Jordan. elucubr. vol. 2. lib. 10. tit. 7. num. 297.*
10 qui ulteriùs addit, quod estò Papa in literis Apostolicis

licis reservaverit *sibi etiam Beneficia*, *quæ sunt Jurispatronatus laicorum* non censeatur reservasse Iurapatronatuum competentia Regibus, Principibus, vel
11 Marchionibus, nisi id expresserit. Et hæc limitatio locum etiàm habet si Juspatronatus sit mixtum, tùnc enìm Clericus ratione societatis cùm Laico in re individua non debet pati præjudicium, ùt alibi dixi; juxtà
12 *Covar. loco cit. nu.* 5. *§. Tertiò.* Si autèm Iurispatronatus sit merè Ecclesiasticum, censetur Papæ reservatum, si in Curia vacaverit tale Beneficium patronatum, quià huic juri faciliùs derogari solet à Papa; juxtà *Glos. citat. Covar. loc. cit. §. Secundò, & Garz. loco cit. nu.* 552. *& seqq.*

13 Ac unicè hæc limitatio non militaret in Iurepatronatu laicali, vel mixto, quando Laicis illud competeret ex privilegio Apostolico; Tunc enìm cessaret ratio illi non derogandi superiùs allata, quià talis Patronus nihil de suo contulisset in Ecclesiam patronatam. Ità *Garz. loc. citato num.* 575. *& seqq. & Covar. ibidem num.* 6.

14 Limitatur secundò conclusio in Beneficiis manualibus, & ad nutum revocabilibus, illa enìm propria Beneficia non sunt, cùm jus perpetuum non tribuant Beneficiato. Ità *Garz. loco citato numer.* 520. *Cardin. de Luca de Benefic. disc.* 97. *numer.* 20. *Rota coram Buratt. decis.* 114. *num.* 1. *coram Greg. decis.* 48. *num.* 5. *coram Merlin. decis.* 61. *num.* 1. *& per tot.* & novissimè *in Neapolitana*, *seù Tranen. Præceptoriæ* 23. *Junii* 1698. *coram Reverendissimo Molines Decano §. Certum est*, quæ est *decis.* 47. *impress. post Antonell. de Jur. & oner. Cleric. num.* 2.

15 Limitatur tertiò in Beneficii vacantibus in Ecclesia non numerata, sed receptiva, hoc est in qua non

sit constitutus certus numerus præbendarum, Papa enìm sibi tantùm reservavit Beneficia vacatura; dicta autèm Beneficia non dicuntur vacare, sed mortuo Beneficiato extinguuntur, & supprimuntur; juxtà *Garz. loco citato, & Mantic. decisione* 229. *num.* 1. *&* 2.

16 Limitatur quartò in Beneficiis vacantibus ex causa permutationis, vel resignationis factæ in manibus Ordinarii; illa enìm non dicuntur propriè vacare; juxtà *Garz. loco citato num.* 542.

17 Limitatur quintò in Beneficiis non Curialium; Curiales autè in hoc casu illi dicuntur, qui Papæ Cardinalibus, vel aliis Officialibus Romanæ Curiæ inserviunt, seù proptèr negocia propria, vel aliena commorantur in Urbe; juxtà *Barb. in dicto cap. præsenti num.* 4. *& de Offic. Episcopi alleg.*57. *num.*31. *& seq. & lib.* 3. *Jur. Eccles. cap.* 13. *num.* 24. ubi addit *num.*27.
18 curialitatem præsumi continuatam usque ad mortem, nisi contrarium probetur, quod facilè etiàm per præsumptiones, & conjecturas oppositas fieri potest, & ità sentit etiàm *Menoch. de præsumpt. lib.* 4. *præsumpt.* 64. *num.* 65. *Ferentill. in annot. ad decision.* 540. *Buratt. littera C. & Ventrigl. in prax. Episcop. part.* 2. *annot.*2. §.1. *num.*17. adeòque si vacent in Urbe Beneficia non Curalium, erunt quidem ex alio capite reservata Pontifici, sed non vigore reservationis, de qua loquor.

19 Limitatur sextò. In casu, quo Papa hujusmodi Beneficia non contulerit intrà mensem numerandũ à die vacationis; tunc enim devoluitur collatio ad Ordinarium Collatorem, idque ad vitandam diutinam vacationem Ecclesiarum.Ità *Gregorius X. in Generali Concilio Lugdunensi relato in c. statutum de præb.in 6.ibique* DD.

DD. Æneas de Falconibus tract. de reserv. effect.6. n.2. Gomez. in reg. Cancell. reg. de triennali quæst. 31. *n.* 5. dummodò tamen, ùt in *dicto cap.* decernitur, Ordinarii illa conferant per se, vel si remotè absint, per Vicarios suos generales, intrà Diœcesim eorum existentes, & speciale ad id mandatum habentes; si tamen Pontifex non fuerit præventus ab Ordinario, etiàm elapso mense potest illa conferre.

20 Limitatur ultimò, in Beneficiis curatis, quæ si per obitum Beneficiati vacaverint apud Curiam Apostolica Sede vacante, non sunt Pontifici reservata, ad vitandum periculum Animarum, si diù vacent. Ità *Bonifacius VIII. in cap. si Apostolica de præben. in sexto.*

Idemque procedere, si dicta Beneficia etiàm extra Curiam vacaverint mensibus Sedi Apostolicæ reservatis, cùm semper urgeat, & vigeat ratio allata, & consequentèr dispositio Legis, unanimitèr asserunt *Gonzal. ad reg.* 8. *Cancell.* §. 5. *proœm. à num.* 125. *Castropal. part.* 2. *Oper. moral. tract.* 3. *disp.* 2. *pun.* 16. *Zerol. in prax. Episcop. part.* 1. *verb. Beneficium vers. tertiò dico, & part.* 2. *verb. reservatio* §. 5. *vers. an possit conferre, Corrad. in prax. benefic. lib.*3. *cap.* 6. *n.*58. *& Rot. in Melevitana Parochialis* 5. *Julii* 1688. §. *Siquidem cor. bo. mem. Rondinino.*

21 Ex qua Constitutione, à contrario arguendo, optimè inferunt *Glos. in citato cap. statutum verb. numerandum, & in dicto cap. si Apostolica verb. Parochiales cum Anchar. in illud not.* 4. quod cetera Beneficia non curata vacantia in Curia, etiàm Sede vacante, sint Summo Pontifici reservata, quin interim labatur tempus mensis favore Collatoris Ordinarii, sed Pontifex Successor illicò ea possit conferre. Ratio est, quià tempore Sedis vacantis habemus unicè exceptionem in

Beneficiis curatis, quæ non sint Pontifici reservata; exceptio autèm firmat regulam in oppositum, ùt certum est.

22 Aliæ reservationes existentes intrà corpus Juris adsunt in *Extravagantibus*, & primò in *Extrav. Execrabilis de præben.* (quæ est eadem cum *Extravag. Execrabilis tit. eodem Joannis XXII.* nisi quod diversos habet Glossatores) reservante Sedi Apostolicæ omnia Beneficia, quæ vacant per assecutionem alterius Beneficii incompatibilis cum primo.

23 Secundò. Benedictus XII. in *Extrav. ad regimen. eodem tit.* reservavit sibi Beneficia vacantia per obitum Cardinalium, aliorumque Officialium Sanctæ Sedis, necnon Commensalium, vel Capellanorum ejusdem nominatorum in *Extravag.*, etiàm Notario-
24 rum; Quorum nomine venire omnes Prothonotarios Apostolicos, tùm participantes, & intrà numerum duodecim statutum à *Sixto V. Constitutione duodecima*, tùm etiàm non participantes, & extra numerum, eo quià *Extravag.* generalitèr, & indistintè loquatur, dixerunt *Lotter. de re beneficiar. lib.* 2. *quæst.* 28. *numer.* 43. *& sequentibus, ac Rota Romana coram Verall. decis.* 404. *part.* 2. *& decis.* 27. *num.* 1. *part.* 3. *coram Puteo decis.* 305. *num.* 1. *lib.* 1. *& decis.* 407.
25 *num.* 1. *part.* 1. *recent.* Imò etiamsi fuerint creati à Legato à Latere, qui habet à Pontifice hanc facultatem; idem *Lotter. loc. cit. quæst.* 29. *per tot. Mandos. ad reg.* 1. *Cancell. quæst.* 7. *num.* 3. *Rota coram Coccin. decis.* 349. Item in dicta *Extrav.* reservata fuerunt Beneficia vacantia per promotionem Beneficiati ad Pa-
26 triarchatum, Archiepiscopatum, & Episcopatum; quas omnes reservationes à suis Prædecessoribus factas Paulus II. *in Extravag. fin. tit. eodem*, declaravit

non

non fuisse extinctas per illorum obitum, sed perpetuò duraturas fore, & quidquid contrà eos attentatum fuerit irritum decrevit.

27 Supersunt jàm reservationes contentæ in Regulis Cancellariæ, quarum prima approbat reservationes existentes *in Extravag. ad regimen. & Extravag. Execrabilis*, reservat omnia Beneficia collata contrà decreta, & formam Tridentini.

28 Secunda Regula reservat omnes Ecclesias Patriarchales, Primitiales, Archiepiscopales, & Episcopales, nec non Monasteria virorum excedentia 200. Flore-
29 nos auri, ideſt ùt vult *Azor. part.2. Instit. moral. lib.6. cap.36. quæst. 10. §. quæres*, Monasteria, quæ, vel
30 destituta sint Monachis, vel solita dari in Commendam. Item omnia Beneficia vacantia Sede ubique terrarum Patriarchali, Primitiali, Archiepiscopali, vel Episcopali quomodòcumque vacante.

31 Tertia Regula reservat omnes Dignitates majores post Pontificales in Cathedralibus, Metropolitanis, & Patriarchalibus Ecclesiis, prout in Gallia, & Hispania est Decanatus; Teste *Azor. loc. cit. in tertia Regula*, & in Germania Præpositura æquivalens Archipresbyteratui, teste *Pirhing. in Jus Canonic. ad tit. de præben. & dignitatibus section. 9. num.* 349. necnon principales in Collegiatis valorem decem Floreno-
32 rum auri excedentes. Itèm omnia Beneficia possessa à Familiaribus, & continuis Commensalibus, tùm Papæ, tùm Cardinalium, etiamsi ab ipsa familaritate quomodocùmque recesserint, ùt vult *Chokier.*
33 *in dictam Regulam tertiam*. Itèm Prioratus, Præposituras, & aliàs Dignitates Conventuale, & Præceptorias generales Ordinum quorumcùmque non
34 militarium. Intellige tamèn hoc non de Dignitatibus,

quæ

quæ regantur per Regulares, sed per Sæculares in illis Ordinibus, qui ex proprio Instituto non inserviunt militiæ, sed hospitalitati, ùt est in Urbe Ordo Sancti Spiritus in Saxia *Barbos. de potest Episcopi allegatio.* 57, *num.* 103.

35 Regula quarta reservat omnia Beneficia possessa à
Collectoribus, vel subcollectoribus Cameræ, & ad
36 hunc effectum sufficere solàm illorum deputationem,
etiàm sine acceptione, & exercitio, dixit *Rota decisione* 259. *per tot. part.* 9. *&* *decis.* 155. *per tot. part.* 11. *recent*.

37 Regula quinta reservat omnia Beneficia Curalium decedentium dùm sequuntur Curiam Romanam, quæ de loco ad locum transferatur, in quovis loco decesserint etiàm à dicta Curia remoto ultrà duas diætas legales; per *Chokier. ad illam in Glos. num.* 1. & sic ampliat reservationem *Textus in cap. præsentium* §. *Porrò de præben. in sexto*.

38 Regula sexta reservat omnia Beneficia Cursorum Papæ, vel ejus Cubiculariorum, eorum scilicet, qui extrà muros, vel honoris causa nuncupantur, ùt vult *Chokier ad illam in Glos. num.* 1.

39 Regula septima reservat omnia Beneficia vacantia in Basilicis D. Joannis Lateranensis, Principis Apostolorum, & Sanctæ Mariæ Majoris: Itèm Beneficia
40 quæcùmque ad provisionem Cardinalium ratione suorum Titulorum, & Episcopatuum, si isti à Romana
41 Curia absint. Id tamen unicè procedere autumant
Azor. loco citat. in Regula 7. §. *Quæres*, *&* *Chokier. in dictam Regulam septimam num.* 12. si absint à Curia sinè justa Causa, non verò si absint de licentia Papæ ob servitium Sedis Apostolicæ, vel ob præstandam
42 residentiam in suis Ecclesiis; Imò *Garz. loc. citato in*

reg.

*reg.7. num.*404. *& seqq. ac Barbos.loco citato num.*153. sentiunt hic solùm reservari Beneficia vacantia in Diœcesibus sex Cardinalium Episcoporum, quorum Episcopatus sunt annexi Cardinalatibus, Ostiensi scilicèt, Portuensi &c.

43 Octava regula, quæ est Clementis VIII. reservat omnia Beneficia etiam non reservata extrà Romanam Curiam ubicùmque terrarum vacantia, si vacent in quibusdam mensibus, qui dicuntur Papales; si enim Ordinarius eorum Collator sit Episcopus, Papa habet alternativam cùm illo, & menses Papales sunt Januarius, Martius, Majus, Julius, September, & Novembris, reliqui sunt Menses Episcopi. Sin autèm Collator Ordinarius sit Episcopo inferior, Papa habet octo Menses, nempe Januarium, & Februarium, Aprilem, & Majum, Julium, & Augustum Octobrem, & Novembrem; Collator verò Ordinarius habet hos quatuor tantùm, Martium, Junium, Septebrem, & Decembrem, & insuper jubet in impetrationem Beneficii debere fieri mentionem mensis in quo illud vacavit.

44 Excipè primò ab hac regula Beneficia, quæ propria non sunt, ùt alibi dixi, vel Beneficia resignata, quæ excipiuntur ab eadem regula in corpore. Debet tamèn hoc intelligi de resignatis purè, & simplicitèr in manibus Ordinarii, non autèm sub conditione, & in favorem tertii, quià regula reservat tantùm Beneficia vacantia extrà Curiam; nequit autèm Beneficium vacare extrà Curiam per resignationem conditionalem, quià hæc non potest fieri in Curia, & in manibus Pontificis *ex Constitutione* 58. *S. Pii Quinti.* Ità *Garz. cit. cap.*1. *num.*542.

45 Excipè secundò ab hac regula Cardinales, qui si Epis-

Episcopi sint, & in suis Diœcesibus resideant non habent alternativam cùm Pontifice, sed Beneficia aliàs non reservata conferre possunt, quilibet interim mense illa vacent. Ità *Garz. loco cit. num.* 624. *& seq. ac Chokier. in dictam reg.* 8. *Glos.* 10. *num.* 4. *&* 5.

46 Excipe tertiò Reges, & Principes, qui ex privilegio Sedis Apostolicæ, Beneficia conferre possint *Garz. loc. cit. num.* 639.

47 Excipe quartò Beneficia vacantia in Germania, circà quàm adsunt concordata inita intèr Nicolaum V. Summum Pontificem, ùt ex *Bulla* 10. *ejusdem*, & Fridericum Tertium Imperatorem.

48 Regula nona reservat omnia Beneficia Conclavistarum, de qua reservatione latè *Rota decis.* 303. *per. tot. part.* 17. *recent.*

49 Reservati pariter sunt Sedi Apostolicæ fructus quidam Beneficiorum; Si enim quis habeat Beneficia Consistorialia, puta Episcopatus, Archiepiscopatus &c. debet ex illis solvere annatam idest, fructus integros primi anni in Camera Apostolica, partim ad subveniendum necessitatibus Ecclesiæ, partim in substentationem Cardinalium indigentium, & Officialium Curiæ. Si verò Beneficia non sint Consistorialia, solvitur media annata, seù medietas fructuum primi anni. Imò si fructus Beneficii non excedant valorem 24. ducatorum de Camera, nulla annata solvenda venit. Ità disposuit *S. Pius V. in Constitutione* 38. *& notat Tusch. verb. annata conclus.* 328.

50 De Beneficiis autèm unitis aliis Ecclesiis, vel iis, quæ cùm priùs essent reservata Sedi Apostolicæ facta fuerunt electiva, vel collativa liberæ collationis Ordinarii, solvuntur Quindennia, hoc est singulis quindecim annis solvitur in Camera una integra, vel media

dia annata, juxtà qualitatem Beneficiorum ſuperiùs recenſitam. Ità *Card. Tuſch. loc. cit.*

TITULUS XVIII.

De Mandatis Apoſtolicis, ſeu Literis Beneficialibus.

1 MANDATUM Apoſtolicum, eſt *omne reſcriptum, quo Summus Pontifex concedit alicui facultatem conferendi Beneficium, vel mandat, ùt alicui Beneficium conferatur*, per Textum *in cap. mandatum de reſcript.*

2 Variis autèm modis expediri ſolent iſta mandata, ſeu literæ Beneficiales. Prima dicuntur *reſcripta juſtitiæ*, quæ expediuntur *in forma pauperum*, ſeù *in forma communi*, quibus paupertate allegata, illicò alicui de Beneficio providetur, & dicuntur *reſcripta juſtitiæ*, quià juſtum eſt Clerico pauperi, & ad ordines promoto Beneficiū concedere, quo vitā poſſit ſubſtentari.

3 Alia dicuntur *reſcripta gratiæ*, per quæ Beneficia conferuntur, nulla facta mentione paupertatis; Et hæc primò dantur *in forma dignum*, quibus reſcribitur, ùt Beneficium conferatur alicui, ſi poſt diligens examen repertus fuerit dignus, & idoneus. Secundò dantur *in forma gratioſa*, quæ proviſum dignum, vel idoneum ſupponunt.

4 Tertia ſpecies literarum datur in Beneficio litigioſo, quæ denominationem deſumunt ab initio verbo-

5 rum, quibus concipiuntur: Si enim intèr duos orta
lite de Beneficio Eccleſiaſtico, unus ex illis literas à
Papa impetret ſub conditione, *ſi alteri collitiganti non
ſit jus quæſitum in Beneficio*, dicuntur literæ *ſi alte-*
6 *ri*. Si autem duobus litigantibus, tertius à Papa im-
petret literas ad Beneficium ſub conditione, *ſi neutri
ex illis ſit jus quæſitum in illo*, dicuntur literæ *ſi neu-*
7 *tri*. Quod ſi tres litigent, & alius, ſeù quartus lite-
ras impetret ſub conditione, *ſi nulli ex illis ſit jus quæ-
ſitum in Beneficio*, dicuntur literæ *ſi nulli*.

8 Quoad hæc igitùr mandata Apoſtolica ſit prima
aſſertio. Si Beneficium fuerit alicui collatum ad pe-
titionem proviſi, in ſupplicatione, & reſcripto debet
fieri mentio de Beneficio quocumque priùs ab impe-
trante obtento, & qualitate illius, puta an ſit cura-
tum, patronatum &c. per *Text. in cap. ſi proponente,
de reſcript. cap. cùm teneamur de præbend. cap. is cui,
& cap. ſi motu tit. eodem in ſexto, & Menoch. de ar-
bitr. Judic. caſ.* 201. *num.* 61. *&* 62. Ratio eſt quia
Papa non ſolet mandare, ùt habenti Beneficium ſuffi-
ciens, aliud detur, quare niſi id exprimatur, gratia
erit nulla, ſubreptitia ob veritatem totalitèr non
9 expreſſam *cap. cùm adeò de reſcript.* Sin autèm Bene-
ficium fuerit collatum motu proprio, non eſt neceſſe,
quod fiat mentio prioris Beneficii obtenti: per *Text.
in dicto cap. ſi motu, & Clem. ſi Romanus tit. eodem*,
quià cùm talis conceſſio Beneficii procedat ex mera
Principis liberalitate, præſumitur, quod etiamſi Prin-
ceps ſciviſſet veritatem integram, quàm ignoravit,
æquè gratiam fuiſſe conceſſurus.

10 Et ità paritèr reſcripta beneficialia impetrata à Pa-
pa ſuper Beneficiis obtinendis, ſi facta fuerint motu
proprio, ſunt latè interpretanda *dicto cap. ſi motu*,

ſi ad

ſi ad petitionem alterius, ſtrictè *cap. quamvis dicto tit. in ſexto, Abbas in cap. cùm in cunctis* §. *Cùm verò num.* 8. *de elect.* & ibidem *Joan. Andr. num.* 18. *ac Felin. in cap. poſtulaſti num.* 13. *de reſcript. Curt. jun. conſ.* 170. *num.* 25. *Conciol. reſol. Crimin. verb. Gratia reſol.* 3. *per tot. addit. ad Sanfelic. deciſ.* 403. *obſerv.* 19. *&* *Gramm deciſ.* 59. *num.* 55. Ratio eſt, quià tales literæ ſunt ambitioſæ: Beneficia enim per ambitionem impetrari ſolent, & ſunt ex illis, quæ honeſtiùs accipiuntur, quàm petantur. Quare decernit *Text. in cap. ſi pluribus dicto tit. in ſexto*, quod ſi motu proprio Pontifex reſcripſerit, ùt de pluribus præbendis vacantibus in Eccleſia, v. g. S. Petri, una conferatur Titio, pinguior ſit conferenda; ſin autèm id reſcripſerit ad petitionem Titii danda ſit magis tenuis; Quod ſi præbendæ ſint æquales, debet gratiam impetrans intrà decem dies poſt habitam notitiam de eorum vacatione prebendam eligere, alias gratia deſtituitur effectu ſuo.

11 tur, quàm petantur. (see above)

12 Aſſertio ſecunda. Juxtà ſtylum Curiæ Literę Apoſtolicæ in beneficialibus non habent effectum, niſi poſtquam fuerint expeditę, nec antè expeditionem dant facultatem Proviſo faciendi ſuos fructus Beneficii. Ità *Pariſ. lib.* 6. *de reſign. benefic. quæſt.* 4. *n.* 36. *& Rota coram Bichio deciſ.* 658. *ferè per totam tom.* 2.

13 dicuntur autèm expeditæ quandò ſunt plumbatæ, ideſt quando eis eſt appoſitum ſigillum plumbeum Papæ *Garz. part.* 4. *de Benefic. cap.* 2. *num. fin. Pariſ. lib.* 10. *quæſt.* 1. *num.* 34. *Lotter. de re Benefic. lib.* 1. *quæſt.* 37. *num.* 11. *Rota coram Millin. deciſ.* 20. *nu.* 4. *& coram Duran. deciſ.* 324. *num.* 27.

14 Aſſertio tertia. In literis Apoſtolicis attendi debet ordo ſcripturæ: Adeòque ſi Papa Epiſcopo man-

daverit ùt conferret Titio præbendam proximè vacaturam, vel spectaret ad collationem dicti Episcopi, vel alterius v.g. Coepiscopi, prima vacans debet conferri; & si duæ præbendæ spectantes ad Episcopi, & alterius collationem simul vacent, debet Episcopus providere de Beneficio ad suam collationem spectante, quià in ordine scripturæ ipse alio priùs nominatur *Text. est in cap. mandato de præbendis*. Et ratio est, quià si Episcopus non teneretur conferre suum Beneficium, neque Coepiscopus teneretur conferre suùm: & sic dici posset de aliis præbendis vacaturis, adeoque gratia reddi posset frustatoria. *Glos. in dicto cap. verb. ad illius*.

15 An autèm expirent Literæ Beneficiales morte concedentis quæstio est, quæ solvitur *in cap. si cui dicto tit. in sexto*. Nam si à Papa, vel alio Superiore sit concessa facultas alicui faciendi aliquid indeterminatè, v. g. Episcopo conferendi Beneficia Sedi Apostolicæ reservata, ea non expirat morte concedentis, etiàm re integra, idest quàmvis Episcopus tali gratia adhùc usus non fuerit.

16 Si verò gratia sit facta ad favorem certæ personę tantùm, puta quià data sit facultas Episcopo conferendi Titio certum Beneficium, idque in favorem solius Titii, expirat, etiam re integra, morte concedentis. Ratio disparitatis est, quià concessio indeterminata in primo casu est merum Principis beneficium, quòd decet esse stabile, & permanens donec revocetur. In secundo autèm casu est merum mandatum factum Episcopo de conferendo tale Beneficium tali personę; mandatum autèm, si res sit integra, finitur morte maudantis, per *Text. in §. fin. Instit. de mandato*, *&*
17 *in l. mandatum C. eodem tit.* Adeòque si gratia facta de con-

de conferendo Beneficium Titio non sit facta in favorem solius Titii ; sed etiam ipsius conferentis , vel in favorem Ecclesiæ , in qua mandatur provideri , non expirabit morte concedentis etiam re integra *Sanch. de matrim. lib. 8. disp. 28. num. 80. 81. & 89.*

18 Cœterùm in praxi servatur , quòd gratiæ omnes , seù supplicationes signatæ à Pontifice antecessore ; eo mortuo statim à Cardinali Datario sub sigillo clausæ tradantur Sacro Collegio Cardinalium, futuro Pontifici reservandæ . Ità *Pius IV. in Constitutione incipen. In eligendis §. Datarii , inter suas 63.* Sucessor autèm illas expedire tenetur , si justæ sint , vigore Regulæ Cancellariæ , quæ dicitur *Rationi congruit* , & ità dicitur ab initio verborum , quibus dictæ Literæ à Successore expeditur , quæ verba sunt hæc = *Rationi congruit , & honestati , ut ea , quæ de Romani Pontificis gratia processerunt , cujus superveniente obitu Literæ Apostolicæ super illis confectæ non fuerint , suum sortiantur effectum &c.* ùt ità servetur Jus Oratori quæsitum per illam supplicationem , & convenientia inter successorem Pontificem,& Prædecessorem. Latè hac de re disserunt *Rebuff. in prax. titulo de gratia rationi congruit , & in dictam regulam Mandos. Chokier. Amayden. lib. 1. cap. 21. Corrad. in prax. dispens. lib. 2. cap. 8. sub num. 14. & Ros. de execut. Liter. Apostolic. part. 1. cap. 2. num. 19. & pluribus seqq.*

19 Secundò. Per gratiam specialem posteriorem tollitur prior generalis , quamvis in posteriore impetrata non fiat mentio de prima *cap. quamvis de præben. in sexto, Oldrad. cons. 198. Cassad. decis. 8. addit. ad Sanfelic. decis. 403. observ. 17.* Adeòque si Pontifex concesserit facultatem Episcopo conferendi omnia Beneficia suæ Diœcesis , Sedi Apostolicæ reservata , & postea

steà unum ex dictis Beneficiis per se conferat dicta collatio Papalis est canonica, & valida. Ratio est, quià Papa per generalem gratiæ concessionem non censetur sibi velle præjudicare, quo minùs in specie illi derogare queat, vel per se providere; quià in Beneficialibus, & Ecclesiasticis semper majorem cęteris potestatem sibi reservare præsumitur.

20 Hinc si utraque gratia esset specialis, vel utraque generalis per secundam non censeretur velle derogare primæ, si de prima non faceret mentionem. Ità *Glos. in d.c. quamvis verbo in genere, ibique Joann. Andr. nu.* 2.

CAPITULUM UNICUM.

De Executione, & Excutoribus Literarum Apostolicarum Beneficialium.

21 LITERÆ Beneficiales Sedis Apostolicæ, aliæ sunt de providendo, aliæ executoriales. Literæ de providendo sunt duplicis generis; vel enim versantur circà Beneficia vacatura, vel circà vacantia. Circà

22 vacatura non possunt dari nisi à Summo Pontifice, puta, quià hic mandet Episcopo primum Beneficium, quòd in aliqua suæ Diœcesis Ecclesia vacaverit, illicò conferat: Quæ literę dicuntur gratiæ expectativæ, & sublatæ omninò sunt per *Trident. Sess.* 24. *cap.* 19. *de reform.* ne detur ansa fraudibus, & alienæ morti captandæ.

23 Aliæ autèm literę de providendo, quę dantur circà Beneficia actu vacantia, vel dantur *in forma gratiosa*, vel *in forma dignum*, ùt suprà dixi. Cùm iis,

quæ

quæ dantur *in forma gratiosa* solet expediri alia Bulla executoria, seù mandatum directum ad Executores à Papa deputatos, ùt provisum in possessionem Benefi-
24 cii collati inducant. Cùm iis autèm, quæ dantur *in forma dignum* adjungitur etiàm alia Bulla executoria, in qua mandatur uni ex vicinis Episcopis, vel Vicario, seu Officiali Ordinarii, ùt si Ordinarius intra 30. dies prævio examine providendi, Beneficium eidem non contulerit, ipse Executor illud conferat, si eum, pro quo scribitur idoneum repererit, & eum in Beneficii possessionem inducat. Ità *Garz. part.6. de benef. cap.2.*
25 *num.5. & 6.* Dummodò tamèn primus Provisor Beneficium non conferat intrà 30. dies ex mora culpabili, seu negligentia propria; dicti enìm 30. dies sunt adjecti non in favorem, sed in odium negligentiæ primi Provisoris: secùs autèm si conferre non poterit, vel quià Impetrantem Literas, non repererit idoneum, vel quià Literæ sint subreptitiæ; tùnc enìm non posset adiri Executor pro obtinenda collatione Beneficii; per *Text. in cap. si capitulo de concess. præb. in sexto, & Garz. loc. cit. num. 65.*

26 Ex hujusmodi autèm Executoribus Literarum beneficialium, alius dicitur merus, alius mixtus. Merus est ille, qui nequit assumere partes Judicis; vel quià sit deputatus ab habente tantùm potestatem Beneficia conferendi, sed non judicandi, ùt à Capitulo; tùnc enìm potest, & debet cognoscere, an persona illa habeat qualitates requisitas, sed hoc facere potest extrajudicialitèr tantùm; Vel quià committens Executori cognoverit priùs plenè de juribus partium etiàm quoad executionem. *Felin. in cap. ult. de præsumpt. n.20. & in cap. de cætero n.4 de sent. & re judic.* Vel demùm, quià Literæ expeditæ fuerint in forma

gratio-

gratiosa; quarum Executor solet plerumque esse merus *Ubert. de cit. cap. 2. num.27. Garz. loc. cit. n.157. Rot. cor. Merlin. decis.* 141. *num.* 11.

27 Mixtus verò Executor est, qui potest, imò, & plerumque debet, judicialitèr procedere cum causæ cognitione, veluti si in literis sit adjecta clausula *vocatis vocandis*; tunc enim citare tenetur omnes interesse habentes; juxtà *Felin. loc. cit. num.* 2. *Rot. decis.* 370. *num.* 5. *part.* 9. *& decis.* 314. *num.* 8. *part.* 10. *recent.* Vel quià adsit intrusus in Beneficio, non enim removeri potest, nisi servato ordine Juris; juxtà *Felin. loc. cit. num.* 24. *& Garz. loc. cit.* §. 1. *num.* 110. *Rot. cor.*

28 *Celso. decis.*113. *num.*3. *& decis.* 314. *part.*10. *rec.* Imò si compareat aliquis, qui etiàm ratione publici boni velit contradicere collationi Beneficii, puta dicendo impetrantem non esse idoneum ad Beneficium obtinendum, debet audiri ab Executore, & de hoc ipso cognoscere potest; Juxtà *Felin. loc. cit. num.* 27. *Rot. cor. Arguell. decis.* 15 *num.* 8.

29 Si verò alicui simplicitèr commissa sit executio, ùt Beneficium vacans alicui conferat, illumque in ejus possessionem inducat, etiàm adjecta clausulą *si dignus est*, potest statìm providere de Beneficio vacante, si nullus contradictor compareat, nec agatur de prȩjudicio tertii, & sufficit quod extrajudicialitèr cognoscat, & inquirat de personȩ qualitate.

30 Quȩ tamèn extrajudicialis cognitio non operatur, quod non sit mixtus Executor (qualis semper debet esse Executor literarum *in forma dignum* expeditarum: per *Rot. coram Buratt. decis.* 529. *num.* 5. *cor. Dunoz. jun. decis.* 193. *n.*3. *& decis.* 292. *n.* 1. *part.*12. *rec.*) Sed solùm facit, quod debeat se informare circà qualitates provisi extrajudicialitèr, idest, citatione exclusa

exclusa, cùm nullus adsit contradictor, quamvis debeat recipere probationem, & justificationem gratiæ per productionem jurium in actis factam. Ità *Ros. de execut. Liter. Apostolic. part.* 1. *cap.* 13. *num.* 14. *&* *pluribus seqq.*

31 Potest autèm Executor ad Beneficia deputatus, vices suas alteri committere; juxtà *Garz.loc.cit. & n.cit.* Quamvis adjecta sit clausula *super quo conscientiam tuam oneramus*, per hæc enim verba non censetur electa industria personæ, sed ea adjecta videntur per modum meræ monitionis; juxtà *Abb. in cap. cùm in veteri num.* 4. *de elect. Garz. loc. cit. latè Ros. loc. cit. cap.* 9. *num.*35. *& seqq. & Rot. decis.*104. *part.*13. *rec. num.*9. *& sequentibus*.

TITULUS XIX.

De Residentia Clericorum.

1 RESIDENTIA à Beneficiatis præstanda est, ideò post cognitionem Beneficiatorum, de illa ponimus. Est autèm = *Assiduitas commorationis in loco Beneficii causa servitii Ecclesiastici personalitèr præstandi*.

2 Maxima tamèn, ac diutina viguit quæstio, præcipuè tempore Tridentini: An residentia Episcopis, Parochis, aliisque Beneficiatis curam Animarum habentibus, præcepta sit à Jure Divino, vel à jure tantùm Ecclesiastico.

3 Hæc de re nulla fuit apud priscos DD. controversia,

ùt testatur *Cajet. in 2. 2. quæst. 185. art. 5.* omnibus uno ore asserentibus, obligationem residendi Pastoribus animarum à Jure Divino imperatam fuisse. Undè hanc quęstionem sola temporum iniquitas celebrem fecit, ùt ait *Sot. de just. & jur. lib. 10. quæst. 3. art. 1.* & acriter, diùque fuit in Concilio Tridentino discussa, proùt videre est ex *Eminentissimo Pallavicino in Historia dicti Concilii lib. 17. 18. 19. 20. & 21.* in pluribus capitulis sparsim; & quidem fortasse omnium primus *Frat. Ambrosius Catharinus Ordinis Prædicatorum, & Archiepiscopus Compsæ*, contrariam sententiam tueri non dubitavit in quodam ejus opusculo *de residentia*, cujus tamèn rationes egregiè infirmant *Vasquez. in opusc. moral. tract. de Benefic. cap. 4. §. 2. dub. 1. Sot. loco cit. art. 1. & 2. Bartholomæus à Miranda Archiepiscopus Toletanus, ac Franciscus Torrensis Hispanus* unus ex Theologis à Julio tertio Tridentum missis, in speciali tractatu hac de re edito; quanta autèm cauthela legenda sint *dicti Ambrosii Catharini* scripta; monet *Bellarm. in opusc. de Scriptor. Ecclesiast.*, & his verbis etiàm monuit *Fagnan. in cap. ex parte de Cleric. non resident. num. 21. in fine*.

4 Post decretum igitur *Tridentini Sess. 23. cap. 1. de reform.* vel rarus, vel nullus fuit, qui obligationem hanc à Jure Divino non dixerit promanantem, ùt fusissimè innumeris relatis DD. testatur *Fagnan. loco cit. num. 20. & pluribus seqq. ac Rosa de resid. Episcop. cap. 2.*
5 *per totum*. Validissimum, & unicum in hac materia est argumentum *Tridentini loco cit.* his verbis relatum = *Cùm præcepto divino sit mandatum omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offere, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum* exem-

exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gebere, & in cætera munia pastoralia incumbere. Ecce major propositio Juris Divini expressio *in Joan. cap. 10. Act. cap. 20. prima ad Corinth. cap. 7. & 9. secunda ad Timoth. cap. 2.* & alibi passim in Sacris paginis *Quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed Mercenariorum more deserunt*; Ecce minor deducta ex principiis naturalibus, & nota lumine rationis *Sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, ùt divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in Judicio, & veritate pascant, & regant*: En consequentia à Tridentino deducta; quià eadem obligatione, qua quis tenetur ad finem, tenetur etiàm ad medium, sine quo finis esse non potest, cùm omnia ordinata ad finem habeantur sub ratione finis, ùt antè Concilium dixerat in hoc proposito *Cajet. loco supra citato, &* habetur etiàm ex *D. Thom. 1. part. quæst. 19. art. 3. & 1. 2. in princ.*

6 Adverte tamèn hoc præceptum residendi esse quidem Juris Divini propriè sumpti, sed reductivi tantùm, non expressi, juxtà originalem sententiam eruditissimi *Gonzalez Tellez in cap. relatum de Cleric. non residen. num. 6.* quàm refert, & amplectitur *Ros. loco cit. num. 93.* PP. enìm Concilii, ùt superiùs monui, majorem tantùm propositionem deduxerunt à Jure Divino expresso, minorem autèm à principiis naturalibus, & de facto non adhibuerunt verbum *residendi*, sed *invigilandi, vel assistendi*, quæ sunt latiora; aliquandò enìm invigilat, & assistit etiàm qui non residet, estò meliùs sit quod resideat.

7 Hoc igitur Jus divinum reductivum æquè fortitèr obligat, ac Jus divinum expressum, quamvìs non æquè

absolutè, ùt benè advertit idem *Gonzal. numer.* 8. & *Rosa loco citato num.* 94. Hinc fit, residere in Ecclesia potestatem declarandi quandò cesset obligatio residendi, ùt dixit *idem Tridentinum loco citato*; quandò enim preceptum residendi continetur sub precepto divino expresso pascendi, ità ùt Pastor oves sibi commissas pascere nequeat nisi resideat, puta tempore persecutionis, heresis &c. obligabitur ad residendum ab eodem Jure Divino, à quo obligatur ad pascendum. & è contrà eximetur ab obligatione residendi, quandò preceptum residendi non continebitur sub præcepto pascendi, idest quandò Episcopus v. g. etiàm absens, poterit sufficientèr per alium pascere oves suas, quòd quandò fit, declarare debet Ecclesia, vel Pontifex, quem alibi dixi esse Divini Juris Interpretem *Hablenes eruditissimus Gonzalez*.

8 Jàm verò ultrà Episcopos, & habentes curam Animarum tenentur ad residentiam etiàm illi, qui possident Canonicatus, Dignitates, vel Præbendas in Cathedralibus Ecclesiis, vel Collegiatis, juxtà *Tridenti-*
9 *num Sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* Imò de Jure Communi Canonico, Beneficia etiàm simplicia obligant ad residentiam personalem, ùt colligunt passim DD. *ex cap. ad hæc de præb. & cap. quià de Cleric. non resident.* quodlibèt enim Beneficium datur propter officium, sivè servitium spirituale Ecclesiæ præstandum; nemo autèm potest inservire per substitutum, nisi hoc specialiter ei sit concessum, per *Text. in l. nullus C. de Decu-*
10 *rion. lib.* 10. Consuetudo tamèn contraria obtinuit, ùt in simplicibus residentia non requiratur, quæ consuetudo potuit derogare obligationi residendi in Beneficiis simplicibus, provenienti non à Jure Divino, sed tantùm à Canonico positivo. Ità *Abbas in cap. qui verò num.* 13. *de præben.* Cau-

11 Causæ autèm à residentia excusantes *à Tridentino dicta Sess.25. cap.1. de reform.* reducuntur ad quatuor, videlicèt Christianam charitatem, urgentem necessitatem, debitam obedientiam, ac evidentem Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitatem.

12 Ad primam causam spectaret, si aliquis discederet à loco Beneficii pro componendis gravibus inimicitiis, vel odiis inter quosdam subortis.

13 Ad secundam, si abesset ob hostium incursus, aeris intemperiem, sævientem pestem, vel corporis ægritudinem.

14 Ad tertiam reducitur, qui abest de mandato, aut licentia Papæ, vel ejus famulatui addictus; per *Text. in cap. cùm dilectus de Cleric. non residen.* Quià cùm in hoc casu inserviat Ecclesiæ Romanæ, seù universali, censetur inservire etiàm aliis particularibus; honor enìm Ecclesiæ Matricis, & universalis, quodammodò redundat in alias Ecclesias subiectas; Vel Canonicus
15 Ecclesiæ Cathedralis, qui ab Episcopo in auxilium, vel servitium suum asciscatur, puta fungendo apud ipsum munere Consiliarii; juxtà *Text. in cap. de cætero, & cap. ad audientiam titulo dicto*, idque ab unionem, quàm habet Episcopus cùm Canonicis Ecclesiç Cathedralis, quorum membrorum veluti caput est.

16 Demùm ad quartam causam reducitur absens, quià sit vocatus ad Synodum, vel ad litem prosequendam super juribus Beneficii, seù Ecclesiæ, cui est incorpo-
17 ratus; aut si absit causa studiorum. Quàm tamèn licentiam dandam non fore ab Ordinario Parochis, sed solùm reliquis habentibus Beneficia non curata, dummodò id status Ecclesiæ patiatur, nec sint majores 25. annis, & indultum non prorogetur ultrà triennium, ùt constat *ex decreto Congregationis super Reformatione indul-*

indultorum à S. M. Innocenti XII. deputatæ §. Indulta, quòd decretum extat apud *Antonell. de Jurib. & oner.*
18 *Cleric. fol. mihi* 1. Imò si Parochus ob aliquam ex recensitis causis abesse velit, monere debet Episcopum, qui loco sui Vicarium in Parochia constituat, ne oves ipsi commissę damnum patiantur *cap. cùm ex eo de electione in sexto, & Abb. in cap. tuæ, num. 6. tit. dicto*.
19 Cęterum præter dictas causas, Canonici, vel Præbendarii Ecclesiarum Collegiatarum, aut Cathedralium possunt trium mensium spatio singulis annis abesse, nisi tamèn Constitutiones Ecclesiarum longiùs servitii tempus requirant, juxtà *Tridentinum Sess.* 24.
20 *cap.* 12. *de reform.* Quæ tamèn Tridentini Constitutio in pluribus locis, & præsertim Germaniæ non est usu recepta, nam alicubi tantùm medio anno, alibi tribus mensibus Canonici residere coguntur pro lucrandis fructibus Beneficiorum; testibus *Layman. lib. 4. oper. moral. tract. 2. cap. 6. num. 2. & Garz. de Benef. part. 3. cap. 2. num.* 330.
21 Et per idem trimestre, vel continuum, vel interruptum possunt Episcopi abesse singulis annis ab Ecclesiis Cathedralibus, dummodò id ex æqua causa fiat, & absque gravi gregis detrimento, quià qui abest ad modicum tempus videtur non abesse; parum enìm in Jure pro nihilo reputatur. Ità *Tridentinum Sess.* 23.
22 *cap.* 1. §. *Quoniam autèm de reform.* Admonet tamèn illos, & hortatur, ne quoad fieri possit absint à suis Ecclesiis in Dominicis Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, & Corporis Christi diebus.
23 Parochis autèm, aliisque curam animarum habentibus eadem *S. Synodus loco cit. §. Eadem omninò* concedit singulis annis per bimestre tantùm abesse posse;

quod

quòd si ultrà dictum tempus abesse velint, non possint, nisi ex speciali Episcopi licentia, & nisi reliquerint loco sui Vicarium idoneum ab Ordinario approbandum, ac cùm debita mercedis assignatione.

24 Quod si Episcopus, Parochus, vel quilibet habens Beneficium curatum, ultrà tempus à Jure concessum absquè causa legitima non resideat, præter peccati mortalis reatum, pro tempore absentiæ, fructus Beneficiorum non facit suos, juxtà *Tridentinum sessione* 23. *cap*. 1. *de reform*. §. *Si quis autèm*; & si ultra annum abfuerit, & adhuc crescat contumacia, debet denunciari Summo Pontifici, à quo ab officio deponi poterit, juxtà *idem Tridentinum sess*. 6. *cap*. 1. *de reform*. & subditur pœnis contra non residentes statutis à Jure *in toto titulo de Clericis non residentibus*, & *in Can. pervenit*, & *pluribus seqq*. 7. *quæst*. 1.

25 Canonici autèm, aliique Præbendarii in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis non residentes, primo anno privari debent dimidia parte fructuum, quos etiàm residentes facerent suos; Secundo anno omnibus fructibus; & postea Beneficiis, juxtà *idem Tridentinum sess*. 24. *cap*. 12. *de reform*. §. *Præterea*; & *declarationes Sacræ Congregationis Concilii relatas à Gallemart. in d. cap*. 12. *num*. 35.



CAPI-

CAPITULUM UNICUM.

De Distributionibus quotidianis.

26 SICUTI, qui non resîdet in loco Beneficii,ejus fructus amittit, ità qui non intereſt,amittit distributiones quotidianas; aliud enìm eſt reſidere, aliud intereſſe. Habes Canonicatum Romæ v. g. diceris reſidere ſi Romæ ſis, eſto non convenias cum aliis Canonicis in Choro ad pſallendum Altiſſimo, non diceris tamèn intereſſe *cap. unic. de Cleric. non reſiden. in ſexto*, & optimè advertit *Layman. lib.4. Theol. moral.tract.2. cap. 6. in princip.*

27

28 Qui igitur Beneficiatus cum aliis convenit in Choro ad Divinum Officium recitandum (quod quavis die quilibet Beneficiatus recitare tenetur ſub mortali, & obligatione reſtitutionis ratæ fructuum correſpondentis ratæ officii culpabilitèr omiſſi, juxtà *Concilium generale Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ.9. & Bullam* 138. *Sancti Pii V.*) distributiones quotidianas non lucratur;

29 Quæ ideò ità appellantur, quià juxtà laborem, & merita cujuſcumque diſtribuuntur, & ſolùm Choro intereſſentibus quotidiè diſpenſantur. Definiuntur autem = *Portiones Eccleſiaſticorum reddituum quotidie distribui ſolitæ iis Beneficiatis, qui ſtatis horis Divino inter ſunt officia*. Vide *Texto in cap. unic. de Cleric. non reſiden. in ſexto*; Dicuntur etiam alio nomine *victualia, manualia*, vel *præſentiæ*, eo quià diſtinguantur à redditibus Beneficii, qui etiàm non intereſſentibus dantur, & quos Canoniſtæ vulgò dicunt *fructus groſſos*, ùt illos diſcernant à minutis, ùt ità dicam, & puſillis

pusillis redditibus distributionum quotidianarum:

30 Quæ solvuntur aliquando in pecunia, aliquandò autèm in terræ fructibus, puta in tot cadis vini, vel modiis frumenti &c. ùt colligitur ex *cap. olim de verb. & rerum significatione*.

31 Dantur autèm aliquæ causæ, ratione quarum etiàm non interessentes distributiones quotidianas lucrantur, quæ referuntur *in dicto cap. unico* §. *Qui verò*.

32 Prima est infirmitas, etiàm si propria culpa in eam quis inciderit; juxtà *Covar. lib.* 3. *resol. cap.* 13. *nu.*8. *Monet. de distribut. quotid. part.* 2. *quæst.* 6. *num.* 11. ubi refert ità declarasse Sac. Congregationem Concilii *Bonac. de hor. Canonic. disput.* 2. *quæst.*5. *punct.* 1.

33 *num.* 1. *& seq.* dummodò tamèn infirmus aliàs Choro interesse consueverit, nam si sanus etiàm ab illo abesse in usu habuerat, non diceretur abesse propter infirmitatem, nec distributiones lucraretur. *Decian. tom.* 2. *cons.* 69. *num.* 8. *& seq. Monet. loco cit. quæst.*5. *num.* 21. *Covar. loco citat. num.* 8. *Azor. part.* 2. *Instit. moral. lib.* 7. *cap.* 7. *quæst.* 11. *Bonac. loco cit. num.* 10. *& seqq.*

34 Nec obstat, quod famulo ægrotanti, durante infirmitate non debeatur salarium, per *Text. in l. ex conducto* §. *Item cùm quidam ff. locati*.

35 Distributiones enim quotidianæ non dantur tanquàm merces, & salarium, ac Ecclesia mitiùs agere voluit cùm suis Ministris, quasi cùm filiis, non autèm famulis, juxtà *Covar. loco cit.*

36 Secunda causa est, justa corporalis necessitas, puta si Canonicus sit senio confectus, timeat pestem grassantem, vel inimicum ei parantem insidias, si injustè sit excommunicatus, suspensus, vel detrusus in

Carcerem; secùs si in illo detineatur ob delictum patratum, quod hanc pœnam secum ferret; nè sortiatur lucrum ex iniquitate propria; juxtà *Covar. loco cit. num.* 80. *Gratian. discept.* 806. *num.* 13. *Garz. parte* 3. *de Benefic. cap.* 1. *num.* 363. *& Nicol. in flosculis, v. distributiones num.* 12. *& seq.*

37 Dices: Clericus infirmus, etiàm si infirmitati causam dederit, lucratur distributiones quotidianas; ergo etiàm in Carcerem detrusus, licèt ob delictum commissum talem pęna incurrerit, illas lucrabitur.

38 Respondeo: culpam, ex qua oritur infirmitas Beneficiati non esse causa moralem absentiæ à Choro, quià non est causam moralis infirmitatis, sed physica, à qua veluti effectus naturalis nascitur infirmitas; delictum autèm Beneficiati esse causam moralem pœnæ carcerationis, quià talis pœna infligitur propter talem culpam, adeoque etiàm illud delictum debebit censeri causa moralis absentiæ à Choro, ac proindè ipse reus ob tale delictum meritò privatur distributionibus quotidianis.

39 Tertia causa est, evidens utilitas Ecclesiæ, vel propriæ, vel universalis, ùt exemplificavi superiùs, quando hanc eamdem causam excusare dixi à residentia.

40 Videtur tamèn obstare *Text. in cap. cùm non deceat de elect. in sexto*, qui loquitur per hæc verba = *Cùm Ecclesiarum suarum prosequentes utilitatem censeri debeant residentes, fructus Beneficiorum suorum, quæ obtinent in illis Ecclesiis, quarum negocia prosequuntur &c. integrè* (*quotidianis distributionibus dumtaxàt exceptis*) *recipiant*; idemque habetur *in cap. de cætero de Cleric. non residen.* sed prosequi negocia Ecclesiæ propriæ reducitur ad evidentem Ecclesiæ utilitatem,

ratio-

ratione cujus poteſt abſens lucrari diſtributiones quotidianas; ergò &c.

41 Variè textus hos cùm *noſtro cap. unico de Cleric. non reſid. in ſexto* conciliant DD. ea tamèn mihi præ cœteris arridet reſponſio, quàm affert *Gloſ. additionalis in dicto cap. unic. verb. utilitas*, & probabiliorem cenſent *Joan. Andr. ibi num.* 4. *Navar. lib.* 3. *conſ.* 8. *num.* 4. *de Cleric. non reſident. Covar. loco cit. & alii*, quod nempè Beneficiatis abſentibus à Choro, & loco Beneficii, vel intèrim abſint ob Eccleſiæ utilitatem, vel ob corporalem neceſſitatem, vel ſimilem rationabilem cauſam, de rigore Juris communis non debentur diſtributiones quotidianæ, utpotè illæ, quæ ex inſtitutione nativà ac propria, non niſi iis, qui Divinis officiis interſunt præſtandæ ſunt; & in hoc ſenſu, ac ſpectato puro rigore Juris communis loquantur textus oppoſiti.

42 Hoc tamèn non officit quìn per ſtatutum, vel conſuetudinem contrariam fieri poſſit, ut abſentes ob prædictas legitimas cauſas diſtributiones acquirant, & hanc conſuetudinem, quæ jàm inoleverat ſolùm approbare intendit *Bonifacius VIII. in noſtro cap. unic. de Cleric. non reſiden. in ſexto*, ùt patet ex initio *capituli* incipien = *Conſuetudinem, quæ in quibuſdam partibus inolevit &c.*

43 Quarta cauſa eſt, ſi in aliqua Eccleſia fructus integri prębendarum conſiſterent in diſtributionibus quotidianis, & ſolverentur dietìm intereſſentibus; tùnc enìm deberent dari etiàm abſentibus, dummodò tamèn legitimè abeſſent. Ratio eſt, quià in tali caſu hæ non vacantur diſtributiones, ſed fructus groſſi, & redditus Beneficii. Ità *Gloſ. in d. cap. unico verb.*

44 *receperit*. Quarè diſpoſuit *Tridentinum Seſſ.* 21. *cap.* 3.

Mm 2 *de re-*

de reform. quòd in Ecclesiis tàm Cathedralibus, quàm Collegiatis constituantur de novo distributiones quotidianę, si nullæ præexistant constitutę, vel augeantur, si sint modicæ; adeoùt tertia saltèm pars fructuum à quibuscumque Beneficiis residentiam postulantibus, & in dictis Ecclesiis existentibus detrahi debeat; & converti in distributiones quotidianas, ne ob earum defectum, vel macilentiam Ecclesia debito servitio
45 fraudetur; quæ tamèn Constitutio non ubique recepta est, & in praxim deducta, ùt notat *Layman. lib. 4. Theol. moral. tract. 2. cap. 7. quæst. 2.*

46 Ultima causa esset Privilegium à Pontifice concessum lucrandi etiàm in absentia distributiones quoti-
47 dianas. Quod tamèn privilegium strictè esset interpretandum, quià cederet in diminutionem Divini cultus, & præjudicium aliorum præsentium, adeòque distributiones quotidianæ debebunt exprimi in concessione, cùm alioquin nomine fructuum eæ non comprehendantur, si sint separatæ à fructibus præbendarum. Ità *Joan. Andr. loc. cit. & Barbos. lib. 3. Jur. Eccles. cap.* 18. *num.* 47. *Covar. loco cit. num.* 2. *& Antonell. de loco legal. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 18.

48 Adverte jàm hactenùs dicta de distributionibus quotidianis, quæ dantur iis, qui intersunt divinis officiis, pari passu procedere in iis, quæ dantur in anniversariis defunctorum, vel ipso die depositionis, aut septimo, trigiesimo, vel alio die ab obitu defuncti; non acquiruntur enìm nisi præsentibus, & absentibus tantùm ex justis causis supra relatis. Ita *Text. in dicto cap. unico §. Fin. ibique Glos. fin. & Barbos. ibidem num.* 23.

49 Quæres autèm: an distributiones amissæ ab absentibus, præsentibus accrescant.

Respo-

50 Respondeo affirmativè, si sint distributiones ordinariæ, quæ vel ex fidelium fundationibus proveniant, vel ex Mensa Capitulari, idest communibus omnium Beneficiorum redditibus detractæ fuerint. Ità *Glos. in Clem. 2. verb. pars dimidia de ætat. & qualit. &c. & in Clem. 2. verbo suspensus de vit. & bo-*
51 *nest. Cleric.* Sin autèm non sint detractæ à tota mensa Capitulari, sed sint detractæ à quibusdam Dignitatibus, vel Officiis, ùt per modum distributionum dentur iis, qui dicta Beneficia obtinent si præsentes sint, tunc his absentibus, Fabricæ Ecclesiæ, vel alteri loco pio applicanda sunt, juxtà *Tridentinum Sessio. 22. cap. 3. de reform. Covar. loco cit. num. 7. Garz. dicta part. 3. cap. 2. num. 444. & seqq. Mantic. decisione 226. per tot.*

52 Legitimè tamèn absentes à Choro, esto acquirant distributiones proprias, probabiliùs est non acquirere per jus accrescendi distributiones aliorum, quas alii absentes amiserunt, quià hoc nullibi in Jure reperitur expressum; juxtà *Castropal. de Relig. disput. 3. punct. 8. num. 8.*

53 Quæras ulteriùs: An Canonici absentes possint tuta conscientia retinere distributiones amissas, quas ipsis Canonici præsentes, quibus illæ accreverant, condonaverint, & remiserint.

54 Respondeo negativè; quià illas acciperent contrà mentem Juris jubentis, ne absens possit facere suas distributiones quotidianas; & cum damnantis ad restitutionem illarum. Rursus hoc expresse dicitur à *Tridentino Sess. 24. cap. 12. de reform.* ubi dicitur *Distributiones verò, qui statis horis interfuerint, recipiant, reliqui quavis collusione, aut remissione exclusa his careant.* Ità *Bonac. loco citato punct. 9. num. 1. & seqq.*

Garz.

Garz. loco citato cap. 2. num. 432. & Antonell. loco cit. num. 11.

55 Verumtamèn si Canonici præsentes distributiones, quas ab absentibus amissas jàm receperant, posteà liberè, & nullo pacto præcedente absentibus liberalitèr donent, poterunt absentes eas retinere; quia Concilium non prohibuit donationem, sed collusionem, & remissionem; remissio autèm fit, cum debitum Creditori solvendum condonatur, & debitor liberatur à solutione, non autèm cum Creditor debitum jàm solutum retrodonat debitori. Ità *Barbos. lib. 3. Jur. Ecclef. cap. 18. num. 15. & de Canon. & Dignit. cap. 22. num. 23. Monet. 3. part. quæst. 5. num. 6. Garz. loc. cit. num. 431. Bonac. loc. cit. punct. 7. §. 1. num. 5. & §. 2. num. 2. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 30. num. 17. Azor. loc. cit. lib. 7. quæst. 9. Rodriq. in summ. 1. part. cap. 33. num. 3. sub fin. Macign. de bor. Canon. cap. 81. num. 152. & Rot. cor. Coccin. decis. 108. num. 4. & duobus sequent.*

TITULUS XX.

De Pensionibus Ecclesiasticis.

1 PENSIO Ecclesiastica maximè affinis est Beneficio, ideò post tractatum de Beneficiis, subnecto de Pensionibus Ecclesiasticis.

2 Ità autèm dicitur à *pendendo*, seù *solvendo*, & definitur = *Certa portio ex alieno Beneficio Ecclesiastico ad tempus justa de Causa detracta, & separata.*

Dici-

3 Dicitur *ad tempus*, ùt distinguatur à Beneficio, quod de sui natura perpetuum est, nec unquàm extingui dicitur, sed vacare; Pensio autèm per mortem Pensionarii regularitèr extinguitur, sicuti usufructus, per mortem Usufructuarii.

4 Quæres primò. Qui possit Pensionem imponere.

5 Certum primò est Papam hoc quomodocumque posse, qui in Beneficialibus plenissimam habet potestatem.

6 Secundò. Legatus à Latere; juxtà *Garz. de benefic. part. 1. cap. 5. §. 1. num.* 281. *& seqq.*

7 Tertiò. Ex justa causa potest etiam imponere Episcopus, dummodò tamèn imponatur durante tantùm vita gravati, non autèm etiàm successoris in Beneficio, nisi quandò pro bono pacis fuisset reservata, puta quià Beneficium esset litigiosum. Ità *Grat. discept.* 617. *num.* 13. *Barbos. lib.* 3. *Jur. Eccles. cap.* 11. *numer.* 56. *& seqq. Pax Jordan. elucubr. tom.* 2. *lib.* 9. *tit.* 1. *num.* 426. *& seqq.* & latiùs *num.* 506. *Ridolph. in prax. part.* 2. *cap.* 9. *num.* 168. *Dian. part.* 9. *tract.* 9. *re-*

8 *sol.* 49. In praxi verò servatur, Episcopum merè nominare Pensionem, & illum, ad cujus favorem reservat, & deindè pro expeditione Bullarum, & Literarum recurrere ad Sedem Apostolicam, & à Pontifice obtinere collationem destinatæ Pensionis. Ità *Rebuff. in prax. lib.* 1. *de reservat. num.* 17. *in fin. Mandos. de signat. grat.* §. *Confirmationes vers. pensiones ab Ordinario*, *Lotter. de re benefic. lib.* 1. *quæst.* 35. *num.* 39. *&* 40. *ac Ventrigl. in prax. part.* 2. *annot.* 11. §. 1. *num.* 6. *& seqq.*

9 Et Magnus Magister Ordinis Hierosolymitani potest reservare Pensiones super Commendis ad favorem Equitum professorum; juxtà *Statutum d. Religionis cap.* 7. *de Commendis*.

Quæ-

10 Quæres secundò. Qui possit obtinere Pensiones Ecclesiasticas.

11 Respondeo. Clericus tantùm; & *ex Bulla S. Pii V.* tenetur sub mortali, ac obligatione restitutionis quotidiè recitare Officium B. Mariæ Virginis. Verbo. Qui est capax Beneficii, est capax Pensionis, & hæc extinguitur modis, quibus illud vacat.

12 Hinc, sicuti per matrimonium Clericus Beneficia, ità, & Pensiones amittit, nisi adsit dispensatio Romani Pontificis.

13 Limita primò in Equitibus Sancti Stephani, qui etiàm coniugati, & bigami possunt retinere Pensiones usque ad summam 400. ducatorum auri de Camera, ex *Bulla Pauli V.* 46. *incipien. Dum generosa*.

14 Limita secundò in Equitibus SS. Mauritii, & Lazari, qui etiàm conjugati possunt retinere Pensiones usque ad eamdem pecuniæ summam, ex *Bulla Clem. VIII.* 102. *incipien. Decet*.

15 Limita tertiò in Militibus Lauretanis, qui post matrimonium possunt retinere Pensiones usque ad summam 200. scutorum auri de Camera, ex *Bulla Sixti V. incipien. Romanum*.

16 Præter autèm modos, quibus vacant Beneficia, va-
17 cat Pensio. Primò per mortem Pensionarii. Secundò, si iste obtineat validè Beneficium super quo erat reservata Pensio: sicut cessat ususfructus acquisita proprietate ab usufructuario *Gigas de pension. quæst.* 4. *Barbos. de pension. part.* 1. *quæst.* 9. *num.* 18. *Vivian. de Jurepatr. lib.* 13. *c.* 9. *n.* 59. *Lotter. de re benef. lib.* 3. *quæst.* 16. *num.* 62. *latè Salgad. in Labyr. credit. part.* 4. *cap.* 6. *per tot. & Ferentill. ad Buratt. decis.* 528. *num.* 4. *&* 5.

18 Si autèm Beneficium fuerit invalidè obtentum, quià alius in Judicio illud evicit, ac obtinuit, poterit adhuc

Pensio-

Penſionarius à novo Beneficiato Penſionem exigere uti priùs exigebat; quià Penſio intereà fuit tantùm ſopita, non extincta, ſicuti par jus habet uſufructuarius *l. Dominus ff. de uſufructu.* Ità *Azor. part.2. Inſtit. moral. lib.8.cap.10. quæſt.7. & abundè Salgad. loco cit.*
19 *num. 24. & ſeqq.* Tertiò extinguitur, ſi Penſionarius Penſionem remiſerit, etiàm ſine conſenſu Superioris Eccleſiaſtici, quamvìs eo irrequiſito nequeat Clericus dimittere Beneficium. Ratio diſparitatis eſt, quià cùm Beneficium dimittitur, vacat, quòd cedere poteſt in damnum Eccleſiæ, Penſio autèm remiſſa extinguitur, quòd redundat in Eccleſiæ utilitatem, quià Beneficium è gravato evadit liberum; juxtà *Azor. loco cit. quæſt. 6.*

20 Quæres tertiò. Super quibus Beneficiis poſſit imponi Penſio.

21 Reſpondeo. Super Cathedralibus non poteſt imponi, niſi redditus excedant ſummam 1000. ducatorum ex *Tridentino Seſſ. 24. cap. 13. de reform.*

22 Super ſimplicibus autèm, non ſolet imponi, niſi valor annuus excedat ſummam 24. ducatorum, & ſi ſit Canonicatus, vel Dignitas non ſolet onerari Penſione, niſi redditus annuus excedat 100. ducata; juxtà *Azor. loco citato quæſt.7. in fin.* ac de ſtylo Curiæ, Penſio impoſita ſuper ſimplicibus non debet excedere medietatem fructuum; juxtà *Pariſ. lib.6. de reſign. Benefic. quæſt. 2. numer. 26. & Garz. part. 1. de Benefic. cap. 5. num. 371.*

23 Quæres quartò. An ad conſtitutionem Penſionis requiratur conſenſus Beneficiarii, vel Patroni, ſi Beneficium ſit Patronatum.

24 Dico primò. Requiritur conſenſus Beneficiarii, vel ab Epiſcopo imponatur, vel à Papa juxtà *Reg. 43. Can-*

cellariæ apud Chokier. & latè *Christin. decis. Belgic.* 27. *vol.* 1.

25 Dico secundò. Ad imponendam Pensionem super Beneficio Patronato non requiritur necessariò consensus Patroni; sed solùm ex honestate; nullum enim præjudicium Patrono infertur, cùm priùs Beneficium conferatur ei, qui fuerit à Patrono nominatus, & posteà imponatur Pensio. Ità *Abb. in cap. unic. ut Ecclesiastica Beneficia &c. num.* 20.

26 Cœterùm in literis Pensionis constitutæ à Papa debet fieri mentio de Jure, quòd habet Patronus super Beneficio ex fundatione, dotatione, vel constructione, si Patronus sit Laicus; secus si sit Ecclesia-
27 sticus, vel casu, quo sit Laicus, habuerit Juspatronatus ex consuetudine, præscriptione, vel privilegio, quià faciliùs Papa onerat talia Beneficia, & difficiliùs derogat Juripatronatus Laicorum. Ità *Azor. loco citato quæst.* 3.

28 Sicuti paritèr in impetratione novæ Pensionis debet fieri mentio de priore, qua erat gravatum Beneficium, juxtà *Azor. loco cit. cap.* 9. *quæst.* 3. *Rot. coram Merlin. decis.* 722. *&* 770. *decis.* 263. *num.* 8. *part.* 9. *decis.* 107. *num.* 15. *& seqq. part.* 10. *decis.* 152. *per tot. part.* 16. *& decis.* 294. *num.* 20. *part.* 18. *recent.* &
29 hoc vel existentiam primæ Pensionis Pensionarius sciverit, vel ignoraverit, quià in hac materia non attenditur intentio partium, sed voluntas Papæ reservantis *Tondut. de pension. cap.* 44. *num.* 7. *Rot. decis.* 379. *num.* 4. *part.* 17. *recent. & in Florentina pensionis* 24. *Januarii* 1696. *per tot. coram R. P. D. dell'Olmo.*

30 Quæres quintò. An obligatio solvendi Pensionem transeat ad successorem in Beneficio.

31 Respondeo affirmativè; quià Pensio est onus reale impo-

impositum fructibus Beneficii,& res transit ad Successorem cùm onere suo reali; adeòque etiàm Beneficio vacante, debet solvi ab OEconomo, vel Administratore de fructibus illius, & Beneficio sequestrato ea solvenda est à sequestro *Garz. loco cit. num.* 188. *& seq. Ridolph. in prax. part.* 2. *cap.* 9. *num.* 94. *& seqq. Gigas de pens. quæst.* 65. *Rota coram Buratt. decis.* 361. *& decis* 699. *coràm Coccin. decis.* 327. *& decis.* 209. *part.* 11. *recent.*

32 An autèm teneatur Successor solvere terminos Pensionis non solutos ab Antecessore.

33 Censent plures DD. apud *Garz. loco cit. num.* 199. *& Rot. coram Merlino decis.* 580. *num.* 6. *&* 7. *& decis.*231. *num.* 6. *part.*16. *recent.* priùs conveniendos esse hæredes Beneficiarii qui sunt directè obligati, iisque discussis in subsidium conveniendum esse Successorem in Beneficio, & talem Successorem teneri tan-
34 tùm pro rata fructuum perceptorum, non autèm temporis, quo vixit Titularis, dixit *Rot. dict. decis.* 231. *part.* 16.

35 Contrà hæredes autèm Beneficiati agendum fore via ordinaria non autèm executiva asserunt *Salustius Tiber. in prax. lib.*3.*cap.*3.*num.*24. *& Ridolph. in prax. part.* 2.*cap.* 9. *num.* 175.

36 Quæres sextò. An teneatur Pensionarius ad solvenda onera annexa Beneficio.

37 Respondeo affirmativè; puta tenetur contribuere Episcopo ad subsidium charitativum, & solvere collectas tàm Ordinarias, quàm extraordinarias, quæ ob publicam causam à Clericis exiguntur. Ità *Garz. loco cit. num.* 171. *Gig. de pens. quæst.* 49. *num.* 1. *Tondut. de pens. cap.*6. *per totum*, *Gratian. decis. March.* 20. *numer.* 10. *Rot. part.* 2. *divers. decis.* 161. *num.* 3. Ratio

eſt; quià, qui ſentit commodum, debet, & onus annexum perferre; juxtà *reg.77. Jur. in ſexto.* niſi tamèn
38 Penſio fuiſſet aſſignata libera,& exempta ab omnibus
oneribus; tùnc enìm talia onera ſolvenda eſſent à Titulari, vel Rectore Beneficii; juxtà *Garz. ibidem numer. 172. Gig. loco cit. num. 6. Rot. coram Seraphin. deciſ. 1348. ſub num. 2. coram Duran. deciſ. 48. ſub numer. 6. cor. Pœnia tom. 2. deciſ. 1582. num. 8. & cor.*
39 *Rembold. deciſ. 339. num. 1.* Sicuti neque Penſionarius tenetur contribuere in procurationibus ſolvendis Epiſcopo ratione viſitationis, quià cùm ſolvantur procurationes potiùs intuitu perſonarum, quàm rerum debent integrè ſolvi à Rectore Beneficii *Lotter. de re Benefic. lib. 1. quæſt. 21. num. 70. & 76. Bellenc. de charit. ſubſid. quæſt. 37. ſub numer. 4. Gig. de penſ. quæſt. 38. in fin.*
40 Idemque dic ſi ſoluta Penſione nihil utilitatis Penſionario remaneret; ſicuti uſufructuarius non tenetur ad collectas, quandò nihil commodi ex uſufructu ei remanet *Gratian. diſcept. 129. num. 4. & 294. nu. 19. Tiraquell. de retract. conſanguin. §. 15. Gloſ. 1. nu. 16.*
41 *Adden. ad Buratt. deciſ. 73. nu. 14.* vel ſi Penſio fuiſſet reſervata ob cauſam oneroſã, ſervitii ſcilicèt, vel aliorum laborum *Gloſ. in Clem. ſi Beneficiorum, & ibi Imol. de decim. Bellen. loco citato quæſt. 15. Caccialup. de penſion. quæſt. 17. numer. 3. & 4. Gig. loco citat. quæſt. 59. num. 8.*
42 Unum adverte, & erit expeditus hic titulus; quòd cùm Penſio ſit Jus temporale, non verò perpetuum, prout eſt Beneficium, nequeat de rigore Juris permutari, vel renunciari; tamèn Summus Pontifex poteſt, ùt ſæpè in uſu habet, concedere facultatem Penſionariis transferendi in alios Penſiones, ideſt,

quòd

quòd mutare possint obligationem solvendi eamdem Pensionem, facendo, ùt Pensio, quæ priùs solvebatur transferenti, solvatur posteà translatario, & qui hanc facultatem habent, possunt ea uti etiàm in mortis ar-
43 ticulo; sed cùm talis Pensionum translatio proroget servitutem Beneficiorum, & consequentèr sit odiosa, optimè in quadam sua Constitutione statuit S. M. Innoc. XI. quòd nulli Pensionario liceat transferre nisi medietatem Pensionum, quas obtinet, puta si fruar Pensione scutorum centum, & habeam facultatem eam transferendi, non possum in alium transferre nisi jus exigendi quinquaginta.

TITULUS ULTIMUS.

De Regularibus.

1 POSTREMA Clericorum divisio est in Sæculares, & Regulares: de illis hactenùs, nunc de istis.

2 Definitur autèm passim status Religiosus = *Stabilis in communi vivendi modus fidelium ad Christianæ charitatis perfectionem tendentium, editis tribus substantialibus votis perpetuæ castitatis, paupertatis, & obedientiæ, ab Ecclesia approbatus.*

3 Dixi *ad Christianæ charitatis perfectionem tendentium,* juxtà præceptum Apostoli *cap. 3. ad Coloss. Super omnia autèm hæc charitatem habete, quòd est vinculum*
4 *perfectionis*. Ideoquè ùt hunc sublimissimum finem homo assequatur, renunciare debet omnibus creatis,

tis, quæ perfectum Dei amorem impedire possunt, qualia sunt bona externa, ùt divitiæ, quæ per paupertatem, voluptates corporis, quæ per castitatem, & propria voluntas, quæ per obedientiam abrogatur; quæ omnia debet Religiosus voto perpetuò promittere, ùt ex parte sua ostendat quamdam assumpti status perpetuitatem, & veluti immobilitatem; juxtà *D. Thom. 2. 2. quæst.* 186. *art.* 6.

5 Ex his infertur primò, statum Religionis quoad substantiam suam fuisse à Christo institutum; nàm de omnibus relatis votis emittendis adsunt consilia Evangelica. De paupertate siquidèm *Matthei.* 19. habetur = *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* De Castitate eodem loco dicitur = *Sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt proptèr Regnum Cælorum.* Et de obedientia jubetur ejusdem *Matth. cap.* 16. = *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum.*

6 Si verò spectetur status Religiosus quoad certum, & peculiarem modum vivendi non est ex institutione Christi, sed Ecclesiæ quæ certas conditiones accidentales statuit circa illum *Suar. tom.* 3. *de Religio. tract.* 9. *lib.* 1. *&* 2. *Less. de Just. & Ju. lib.* 2. *cap.* 41.
7 *dub.* 2. Hinc primis sæculis Religiosi professi erant capaces dominii rerum temporalium, & de illis poterant disponere in ultima voluntate, & ab intestato iis poterat succedi, ùt constat ex *l. generali C. de sacros. Eccles. & l. si quis C. de Episcop. & Cleric.* quòd postea revocatum fuit in *Authentica Ingressi C. de Sacros. Eccles. & in Can. Ingredientibus, & in Can. perlectum.* 19. *quæst.* 3. & matrimonium contractum à Reli-
8 gioso erat quidèm illicitum, & sacrilegum, non tamèn invalidum, ùt liquet ex *caus.* 27. *quæst.* 1. quòd

posteà

posteà fuit declaratum etiam nullum *in cap. quià hoc
titulo , & in Canone ùt Lex dicta Causa , & quæst.*
Consule *Suar. tom. 3. de Relig. lib.2. cap.* 14. *num.*14.
& seqq.

9 Infertur secundò. Ordines Religiosos differre intèr
se non essentialitèr, sed accidentalitèr; omnes enim,
dicta tria vota substantialia requirunt, solumque diffe-
runt in eò, quod quisque Ordo adhibeat diversa
media ad finem suum specialem assequendum, vel
dicta vota meliùs adimplenda; juxtà *D. Thom.* 2. 2.
10 *quæst.* 188. *art.* 1. Hinc alia est Religio contemplati-
va, quæ principalitèr ad contemplationem Divino-
rum ordinatur; alia activa, quæ ordinatur ad exer-
cenda opera spiritualia, vel corporalia ergà proxi-
mum; & alia mixta, quæ æquè principalitèr incum-
bit tùm vitæ activæ, tùm contemplativæ; aliæque
dicuntur Religiones militares, quæ ex vi proprii in-
stituti ordinantur ad militandum pro defensione Fidei,
& Ecclesiæ, ùt sunt Ordines Teuthonici, Sancti Jo-
annis Hierosolymitani &c.

CAPITULUM I.

De Novitiatu, & Tyronibus.

11 INGRESSUS in Religionem, vel fit per ipsam pro-
fessionem religiosam, vel per meram religiosi Ha-
bitus susceptionem, quæ constituit Novitium.

12 Novitiatus autèm dicitur *tempus probationis*, cùm
tùnc, & Religio Novitii qualitates, & Novitius Re-
ligionis austeritatem experiatur; & professio facta ante
dictum annum probationis, irritatur *à Tridentino Ses-
sion.*5. *c.*15. *de Regular.* Re-

13 Requiritur autem ad Novitiatum, quod inchoetur post pubertatem completam, ùt ex *Clement.* 2. *ibique Glos. verbo ætate hoc tit.* quià nonnisi tùnc advenire solet discretio rationis, & vires sufficientes ad probandam austeritatem Religionis, & præsertìm ad continentiam servandam, cujus difficultates plenè experiri nequit impubes; juxtà *Sanch. lib.* 4. *moral. cap.* 4. *num.* 22.

14 Rogabis verò primò. An Novitiùs possit retinere Beneficia Eclesiastica.

15 Respondeo affirmativè, per *Text. in cap. Beneficium, hoc tit. in sexto* quià non potest ipsi auferri libertas egrediendi è Religione, quæ fortasse videretur sublata, si privaretur Beneficio.

16 Rogabis secundò. An Novitius possit pro libito bonis suis renunciare.

17 Respondeo juxtà mentem *Tridentini Sess.* 25. *cap.* 16. *de Regular.* renunciationes bonorum à Novitiis fieri non posse, nisi intra duos menses proximos antè professionem cùm licentia Episcopi, ejus Vicarii Generalis, nec aliàs effectum sortiri quàm sequuta professione, & alio modo factas esse irritas quamvis juratæ fuerint, vel in favorem cujuscumque causæ piæ emanaverint. Latè *Barb. de offic. & potestate Episcopi alleg.* 99. *Grat. discept.* 899. *num.* 19. *Rot. coram Merlin. decis.* 869. *num.* 2. *& seqq. & decis.* 894. *in princ. & decis.* 85. *num.* 14. *part.* 17. *rec.*

18 Adverte tamen primò, dicto decreto prohiberi tantùm renunciationes irrevocabiles; juxtà *Sanch. lib.* 7. *mor. cap.* 5. *num.* 13. *& seqq.* & solùm factas intuitu ingressus Religionis, ob quàm in dubio factæ præsumuntur, maximè si notabilem quantitatem contineant; per eundem *Sanch. loco cit. cap.* 1. *num.* 6. 7. *&* 8.

Ad-

19 Adverte secundò, renunciationes factas in sæculo, & antè assumptionem habitus religiosi, quamvis talem assumptionem habuerint pro causa finali, vel impulsiva, non comprehendi sub dicto decreto Tridentini. Ità *Fagnan. in cap. pen. hoc tit. num.* 42. afferens declarationes Sacræ Congregationis Concilii *Altograd. consf.* 35. *num.* 9. *&* *consf.* 36. *num.* 1. *lib.* 1. *Caball. consf.* 175. *numer.* 3. *& seqq. lib.* 1. *Menoch. de arbitr. centur.* 5. *casf.* 439. *num.* 4. *Rodriq. tom.* 2. *quæst. regular. quæst.* 48. *art.* 8. *Donad. de renunciat. cap.* 8. *per tot. Tambur. de Jur. Abbat. tom.* 3. *disput.* 6. *quæst.* 10. *per tot. De Angel. de confess. lib.* 2. *quæst.* 80. *num.* 4. *& seqq. Sperell. decis.* 16. *numer.* 18. *Rota coram Merlin. dicta decis.* 689. *numer.* 6. *coram Roxas decis.* 91. *per tot. decis.* 56. *in fin. & decis.* 450. *part.* 9. *decis.* 245. *parte* 12. *& dicta decis.* 85. *num.* 14. *part.* 17. *recent.* Ratio est, quià Tridentinum loco citato loquitur tantùm de renunciatione facta ab ingresso Religionem, & Novitio jàm habitum regularem gestante; adeòque cum hæc dispositio Concilii sit correctoria Juris communis, utpotè auferens liberam facultatem de bonis suis disponendi, est intelligenda proùt jacet, & juxtà sonum verborum.

20 Nec obstat, quod Lex etiàm exorbitans à Jure communi extendi possit de casu ad casum ob paritatem rationis, quando aliàs Lex frustraretur fine suo, ùt colligitur ex *cap. si Civitas de sentent. excom. in sexto, & ex cap.* 2. *juncta Glos. verb. aliter facta de usur. in sexto*; Ratio autèm Concilii fuit non tollere libertatem Novitio egrediendi ad libitum è Religione, quæ ratio videtur etiàm vigere casu quo ingressurus Religionem antè ingressum bonis renunciaverit, & posteà habitum Religiosum susceperit.

21 Respondetur enim juxtà *Fagnanum loco citato* objectum procedere, quandò ea, ad quæ fit extensio possunt comprehendi sub verbis Legis prohibentis, verba autèm Concilii, cum loquantur tantùm de Novitiis, qui jam habeant habitum religiosum, & sint personæ Ecclesiasticæ, non possunt importare, ac comprehendere etiàm personas sæculares, & in sæculo bonis renunciantes.

22 Adverte tertiò, nomine renunciationum à Tridentino prohibitarum venire donationes intèr vivos, quæ sunt irrevocabiles; juxtà *Menoch. loco citato numer. 7. Molin. de Just., & Jur. tract. 2. disp. 139. col. 9. Tambur. de Jur. Abbatiss. disput. 4. quæst. 10. num. 8. in princ.*

23 Itèm Dationes mutui factas Monasterio; tùm ob difficultatem recuperationis, tùm quià continent sub se donationem virtualem; si enìm Novitius profiteatur Religionem, obligatio reddendi mutui cessat. Si-
24 cuti pariter prohibiti intelliguntur omnes contractus onerosi, in quibus non recipitur tantumdem, quan-
25 tum datum fuit; secùs illi, qui sunt reciproci, ùt locationes, venditiones, permutationes &c. vel illi, in quibus Novitius exponitur periculo lucri, & jacturæ, ùt est contractus societatis *Sanch. loco citato num. 32. & duobus seqq. Lezana in Sum. quæst. regular. cap. 24.*
26 *num. 35. Tambur. loco citato num. 11.* Adeòque paritèr non intelligitur vetitum Novitio aliquid donare Monasterio pro suo victu, & vestitu; juxtà idem *Tridentinum loco citato cap. 16. de regular., & Lezan. loco citato, Suar. tom. 5. de Relig. disp. 2. sect. 5. num. 15. & Sanch. loco citato num. 22.* nec non modi-
27 cas eleemosinas in Monasterium erogare, & quæ libertati egressus obstare nequeant; juxtà *laudatum Sanch. loco citato num. 28.* Ad-

28 Adverte quartò, novitium posse renunciare favore Monasterii hæreditati paternæ, vel maternæ, vel alteriùs, sibi fortassis obventuræ, etiàm non requisito consensu illorum, de quorum hęreditate agitur, adeòque contra regulam *Text. in l. ultima C. de pact.* quià ratio motiva dicti textus fuit, ne daretur occasio machinandæ mortis alienæ; hæc autèm ratio cessat quandò renunciatur favore Communitatis, & maximè Regularium, de quibus nihil sinistrum facilè suspicari licet; *Can. absit ibique Glos. v. sinistrum* 11. *quæst.* 3. Ità *Sanch. loco citato cap.* 2. *num.* 54. *& seqq. & Layman. lib.* 3. *Theol. moral. tract.* 5. *cap.* 7. *num.* 3. *quæst.* 2. *limit.* 3.

29 Rogabis postremò: An Novitii fruantur Privilegiis sui Ordinis.

30 Respondeo affirmativè, quia reputantur personæ Ecclesiasticæ, & in favorabilibus veniunt sub nomine
31 Religiosorum. Hinc gaudent privilegio Fori, Canonis, aliisque exemptionibus à solvendis gabellis, & vectigalibus ex bonis patrimonialibus. Consule *Text. in cap. Religiosi §. Quamvis de sent. excom. in sexto Abb. in cap. cum contigat numer.* 21. *de for. compet. Navar. lib.* 2. *consil.* 4. *&* 5. *de for. compet. Sanchez loco citato lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 11. *&* 12. *& latè Pellizar. in man. tract.* 2. *cap.* 7. *quæst.* 1. *&* 5.

CAPITULUM II.

De Professione Religiosa, & Professis.

32 PROFESSIO strictè accepta illa est, quæ fit per vota solemnia, omninò, & irrevocabilitèr ex

utraque parte, Religiosi scilicèt profitentis, & Religionis, seù Superioris, professionem Religiosi, Dei nomine acceptantis; inter illos enìm contractus sacer, & obligatorius celebratur, ut latè differit *Suar. tom.* 3. *de Relig. lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 4. *& seqq.*

33 Duplex est Professio: expressa, & tacita.

34 Prima fit vel verbo, vel scriptis, vel utroque simùl, imò etiàm nutibus, juxtà Constitutiones cujuscumque Religionis; ut ait *Sanchez lib.* 5. *moral. cap.* 3. *num.* 1.

35 Tacita autèm fit primò, quando Religiosus post annum probationis triduò gestaverit habitum professum distinctum ab habitu Novitiorum; juxtà *Text. in cap. ad nostram hoc titulo*.

36 Secundò, quando tali habitu suscepto, licèt antè triduum exactum, exercuerit actus proprios Professorum, v. g. tulerit suffragium in Capitulo, per *Text. in cap. vidua hoc titulo.* Tertiò si Pubes per annum gestaverit habitum alicujus Religionis, in quà non sit distinctio inter habitum Professi, & Novitii; juxta *Clem. eos qui de Regular.*

37 Ut autèm relatis modis professio tacita inducatur, quinque exiguntur. Primò ut actus, per quos ea est inducenda, fiant authoritate, & consensu Superioris habentis potestatem admittendi professionem. Secundò, ùt spontaneè fiant. Tertiò, ùt scientèr, hoc est Novitio sciente, dictos actus ad solos professos pertinere. Quartò, ùt illis actibus habeat voluntatem veram profitendi. Ultimò, ùt expleverit decimum sextum ætatis annum *Sanch. in præcepta decalog. tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 3. *à num.* 14. *usque ad* 19. *Sperell. decis.* 161. *tom.* 2. *num.* 42. *Rota coram Merlin. decis.* 18. *num.* 24.

38 Nunc verò temporis ad quamlibet professionem

validam

validam requiritur primò ætas; quod fiat scilicet post annum probationis exactum in loco religioso, & postquam profitens expleverit decimum sextum suę ætatis annum, juxtà *Tridentinum sess.* 25. *cap.* 15. *de regular.*

39 Nisi tamèn statuta Ordinum majorem ætatem requirant, ùt in professis Minorum, & Soc. Jesu; Concilium enìm tantùm prohibet ne professio emittatur ante decimum sextum annum completum, non vetat tamen ne post d. annum emitti possit, ùt asserunt unanimitèr; *Abb. in cap. quià hoc tit. num.* 4. *&* 5. *Sylv. in Sum. verbo Religios.* 3. *quæst.* 2. *Sanch. lib.* 5. *moral. cap.* 4. *num.* 3. *& latè juxtà declarationes Congregationis Concilii Fagnan. in cap.* 1. *hoc titulo num.* 15.

40 Requiritur secundò ad validam professionem, quod libera, & spontanea voluntate emittatur *cap. primo hoc titulo*.

41 Infer igitùr primò, factam ex metu gravi, & cadente in constantem Virum injustè incusso, ipso Jure esse irritam *Can. præsens* 20. *quæst.* 3. *& cap. primo de his,*
42 *quæ vi metusve &c.* Itaùt quamvis metus reverentialis consistens in precibus, vel imperio Prælati, aùt Consanguineorum, per se non sufficiat ad invalidandam professionem, juxtà *Abbatem in cap. cum Virum hoc titulo num.* 8. invalidare tamèn illam etiàm possit, si concurrant tales circumstantiæ, quas difficillimè homo à se repellere valeat, quià tunc metui gravi æquiparatur, puta, si preces importunæ porrectæ fuærint ab homine magnæ notæ, & authoritatis, si blanditiis minas adjunxerit &c. juxtà *Sanchez lib.* 4. *moral. disput.* 7. *num.* 5. *&* 7. *Less. de Just. & jur. lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 35. *& Laym. lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 5. *num.* 6. *Sperell. decis.* 79. *num.* 18. *Rota coram san. mem. Gregor. XV. decis.* 326. *num.* 16. *&* 18. *coram Buratt. decis.* 205. *num.* 12.

num. 12. 13. *&* 27. *coram Merlin decis.* 590. *num.* 5. *decis.*300. *num.* 51. *&* 52. *part.* 10. *& decis.* 211. *n.*6. *&* 7. *part.* 13. *recent.*

43 Infer secundò, Professionem emissam ex errore, dolo, vel ignorantia circa substantialia Religionis esse irritam jure naturali, quià in his casibus deficit omni-
44 nò consensu substantialis; quod secùs erit, si talis error vel ignorantia versetur circa accidentalia, quià tùnc adest sufficiens consensus *cap. cum dilectus de his, quæ vi metusve &c. Suar. tom.* 3. *de Relig. lib.* 6. *cap.*5. *num.*3. *&* 4. *Sanchez lib.* 5. *moral. cap.*4. *num.*57. *& Castropal. part.* 3. *oper. moral. disput.* 2. *punct.* 2. §. 2. *num.* 4.

45 Infer tertiò, Coactionem per vim, vel metum irritare professionem, sed non merum Religionis ingressum, quià hoc in Jure non reperitur expressum, nec est indissolubilis ingressus simplex, sicut professio;
46 juxtà *Sanch. lib.* 7. *de matrim. disput.* 37. *num.* 51 Verum tamèn *Trident. sess.* 25. *cap.* 18. *de regular.* excommunicat omnes cogentes quamcumque Mulierem invitam ad ingrediendum Monasterium, vel emittendam professionem; semper enìm per talem coactionem gravis injuria infertur Religionem ingredienti.

47 Infer quartò. Amentem, vel Furiosum nullitèr profiteri *cap. sicut hoc titulo*; quod si redeat ad sanam mentem debebit anno continuo in probatione manere, eoque transacto, vel tacitè, vel expresè professionem ratificare; *Sanchez lib.* 5. *moral. cap.* 4. *num.* 53.

48 Jam verò tertiò requiritur ad professionem validam quod acceptetur ab habente potestatem incorporandi Religioni, puta ejus Superiore. Ratio est, quia professio est contractus sacer, & reciprocus, quo se Religiosus

giosus tradit Deo, & Religioni, Religio autèm obligatur ad eum alendum, & substentandum, ideoque utriusque contrahentis consensus requiritur. Ità *Text. in cap. ad apostolicam, & cap. porrectum juncta Glos. in verbo non faciat habitus hoc titulo ibique, Abb. num.* 10. *Suarez loco citato cap.* 11. *numer.* 1. *&* 2. *Sanchez loco citato num.* 62.

49 Quartò requiritur ad professionem saltèm licitam, ùt quis nulla prohibitione sit adstrictus, ratione cujus impediatur emittere professionem.

50 Infer ex hoc primò (omissis tanquam obsoletis iis, quæ de antiquis servis statuta habetur *in Can. si quis* 17. *quæst.* 2. *juncta Glos. fin.*) Episcopum confirmatum, vel consecratum non posse sine consensu Pontificis validè emittere professionem Episcopatu relicto, quià est obstrictus suæ Ecclesiæ, ùt maritus uxori; *cap. licet hoc titulo; & cap. nisi de renunciat. Laym. in cap. nisi cum pridem de renunciat. & Less. loco cit. cap.* 51. *num.* 24.

51 Infer secundò, filios, qui parentes in extrema necessitate constitutos habeant, debere differre Religionis ingressum, & multò magis professionem, donèc illis subvenerint; Imò debere egredi è Religione, si non sit alius, qui iis succurrere possit, quià professio non tollit præceptum charitatis, & misericordiæ, quod Juris divini est, & naturalis; nec parentes debent apud filium Religiosum esse deterioris conditionis, quàm extraneus. Et idem dic de parentibus respectu filiorum. Ità *D. Thom.* 2.2. *quæst.* 101. *art.* 4. *ad quartum, & quæst.* 189. *art.* 6. *in corpore.*

52 Queres autèm: an invalidè professus possit reclamare contrà professionem invalidè emissam.

53 Respondeo affirmativè, dummodò servet dispositionem

nem *Tridentini sess.* 25. *cap.* 19. *de regul.* quod nempè reclamet intrà quinquennium à die professionis, & tùnc non alitèr, nisi causas, quas prętenderit, deduxerit coram suo Superiore, vel Ordinario, & non nisi retento habitu, vel eo dimisso cum licentia Superioris, aliàs non audiatur, & nullo fruatur Religionis privilegio, imò cogatur redire ad Monasterium, puniaturque tamquam Apostata.

54 Prima igitur conditio ad reclamandum requisita, est, quod habitum non dimittat, nisi cum licentia Superioris.

55 Quod intelligas non procedere primò in casu, quo alio modo non haberet facultatem reclamandi, quam habitu deposito; Concilium enìm intendit eum punire, qui spontè sua, & temerè habitum dimittit, non verò illum, qui dimittit ex justa causa, & ùt possit liberè uti facultate sibi à Jure concessa. Ità *Azor. par.* 1. *Instit. moral. lib.* 12. *cap.* 4. *Sanch. lib.* 7. *de matrim. disp.* 37. *num.* 3.

56 Secundò, si habitum dimissum iterùm assumat, quià per reassumptionem habitus Religio restituitur in possessionem, & sic spolium videtur purgatum *Sanch. loco cit. num.* 4.

57 Altera conditio ad reclamandum requisita, est, quod reclametur intrà quinquennium à die professionis.

58 Sciendum tamèn, hoc quinquennium esse tempus utile, non continuum; adeòque non currere durante ignorantia, nullitatis professionis, vel impedimento reclamandi intrà quinquennium, juxtà *Navar. lib.* 3. *consf.* 23. *hoc tit. num.* 3. *Suar. loco cit. lib.* 7. *cap.* 4. *num.* 6. *Castropal. disp.* 2. *punct.* 7. *num.* 5. *Dian. part.* 3. *num.* 2. *resol.* 53. *Lezan. in Summ. quæst. regular. cap.* 2. *num* 7.

Tambur.

Tambur. de jur. Abb. tom. 3. disp. 6. quæst. 25. num. 7. Primò, quià Concilium jubens quinquennium præfatum computandum fore à die emissæ professionis, debet intelligi *nisi justa causa aliud suadeat*, qualis est ignorantia, vel impedimentum prædicto tempore durans, & impediens reclamationem. Secundò, quià ratio motiva dispositionis Concilii est, quod per lapsum quinquennii præsumatur Religiosus, qui dicto tempore siluit, ratificare professionem emissam; hæc autèm ratificatio nequit habere locum durante impedimento, vel ignorantia, cùm ignorantis nullus sit consensus.

59 Hinc fit, etiàm elapso quinquennio Religiosum admittendum fore ad reclamandum, si probare velit se non potuisse illo tempore ratificare professionem. Ità *Suarez loco cit. num. 9. & Castropal. loco cit. num. 10.*

60 Sed adversus lapsum temporis debebit petere à Judice restitutionem in integrum *Gratian. tom. 3. discept. 413. num. 11. ibique Carol. Anton. de Luc. num. 9. & Card. de Luc. de regul. disc. 41. num. 11.*


61 Adverte postremò, hoc quinquennium competere etiàm Religioni ad reclamandum intrà illud adversùs professionem sui Religiosi, quià ipsa non debet esse deterioris conditionis suo Religioso, & dispositum in uno correlativo, habet locum etiàm in alio, quando de alio non est oppositum statutum à Jure; juxtà *Pellizar. in man. tr. 33. cap. 5. sect. 2. quæst. 3. num. 52.*

62 Quod tamèn procedit, si professio fuerit nulla ob ignorantiam justam, & invincibilem Superiorum Regularium; si enim hæc abfuerit non possunt Superiores reclamare post elapsum biennium à die emissæ professionis; juxtà *Fagnan. in cap. 1. num. 45. & duobus seqq. hoc tit.*

Et hæc in primam Institutionum Canonicarum partem, brevi interpretatione dixisse sufficiat, ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei.



INDEX



INDEX MATERIARUM PRIMÆ PARTIS.

A

Annata

Archidiaconus

Archiepiscopus

Archipresbyter

Artificium.

B

Bellum.

Beneficium Ecclesiasticum

Beneficium quoad Collationem

Beneficium quoad Dismembrationem

Beneficium quoad Permutationem

Beneficium quoad Pluralitatem

Beneficium quoad Renunciationem

Beneficium quoad Reservationem.

Beneficium quoad Unionem

C

Capellania

Capitulum

Cardinales

Chorepiscopi

Chri-

Index Materiarum

Coadiutor

Episcopus

Executor Literarum Beneficialium

Vide verbo Literæ Beneficiales.

I

Jus

Juspatronatus

L

Legatum

Legatus

Literæ Beneficiales

Ludus

N

Negociatio

O

Ordo

P

Pallium

Patriarcha

Patronus

Pensio Ecclesiastica

 pensio,

Pontifex

Casus

Postulatio

Q

Quindennie

R

Regularis

Residentia

T

Tabellionatus

V

Venatio

Vica,

FINIS.